DE IVSTIFICATIONE

Ex Solâ Fide,

Patrum & Protestantium

CONSENSUS;

DUOBUS OPUSCULIS *Exhibitus* :

IN QVIBUS

LUTHERI ac PROTESTANTIUM hâc in re Doctrina, ab *Hæreticâ Novitate* clarè vindicatur :

Adversus

SMITHÆI ac PONTIFICIORUM, præsertim *cujusdam* ANONYMI *recentes Calumnias.*

Per Rodolph. Hollingworth, *S. Th. Bac.*

Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus Legis. Rom. 3. 28.

Quòd Solâ fide *justificamur, est Doctrina saluberrima & consolationis valdè plena.* Artic. Anglic. 11.

Extra causam [verò] justificationis, nemo potest Bona Opera *à Deo præcepta, satis magnificè commendare.* Luther. in Gal. 3. fol. 364.

DUBLINII.

Ex Officinâ Societatis Bibliopolarum.

Anno Dom. M. DC. XL.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

Christiano Lectori.

Hîc *Duo* sunt (Amice Lector) de Iustificatione hominis *Opuscula*, in unum colligata fasciculum. *Primum* quidem, Patrum hac in re Sententiam exhibet; quod olim certè composuerã, ut privato Cognati mei desiderio plenè satisfacerem. Quamvis enim, * *Sacrarum literarum* in hoc, alijsq; fidei Articulis *Doctrina* sit ex se perspicua, & ad fidem faciendam satis idonea; quippe quas D. *Petrus* βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον jure nuncupat: tamen consona *Sanctorum* in quovis seculo *Doctorum Testimonia*, ad eandem firmandam plurimùm conducunt. Hoc epistolare Scriptum

* *Vid.* 2 Pet. 1. 19. & 2 *Tim.* 3. 15. *cum Act.* 20. 32. & *Jac.* 1. 21. *Vndè* Athanasius; Αὐτάρκειας ἔισιν αἱ ἁγίαι γραφαὶ πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἀπαγγελίαν. Contra Gentes, in principio. *Cui consonat* Lirinensis;

Perfectus Scripturarum Canon ad omnia satis superq; sufficit. Contra Hæres. cap. 2.

longè

longè præter intentionem meam in publicum prodiens, in aliquorum (nescio quomodo) Pontificiorum inimicas manus incidit. Ex his, *Anonymus* (nescio quis) tandem insurgens, meam in eo perfidiam & impudentiam; maximè verò *Lutheri* ac *Protestantium* novam & hæreticam de Iustificatione Doctrinam, cum *Smithæo* vel indignissimè perstringit. Quibus ego calumnijs, huic imprimis de *Hæreticâ Novitate*, paucis occurrendum censui. Atq; indè *Secundum* natum est Opusculum, quo *Lutherus & Protestantes* in hac parte, contra *Smithæum & Pontificios*, præsertim hunc *Anonymum* vindicantur. Hic autem, ut intelligo, non est alius ab ipso *Smithæo*. Nec id sanè vero videtur absimile. Ut enim, de *Smithæi Collatione*, huic tanquam Authori perquàm familiariter cognitâ, nil dicam; certè, quicunq; hujus *Anonymi* phrasin & stylum, cum isto reliquisq; istius

Fabri

Fabri notis operibus vel parùm contulerit, is facilè conjiciat, hoc ipsum opus, ex eâdem prorsùs incude & officina prodijsse. Cæterùm, ingenuè magis fecisset, si non eorum more, qui τὰ νόθα procreant, *nomen celare*, sed * τὸν παλέφατα τῶ λόγω κηρύσσειν (quod eleganter monet *Basilius*) nempè *Libelli parentem & Authorem edere voluisset.* Quisquis ille sit, hominem quidem ipsum amo; opinionem verò hominis non item, velut hominum saluti, Deiq; gloriæ in gratuitâ peccatorum justificatione, penitùs adversam.

* *Basil. Ep. 1. ad S. Gregor. in medio.*

Quamobrem, minuenda est hæc opinio; idq hisce *duobus Opusculis* sum conatus. Quæ profectò, si quorundam non indoctorum votis obtemperassem, in lucem antehàc prodijssent. At tenuitatis egomet ipse meæ probè conscius, supprimenda potiùs, quàm imprimenda statueram. Movit tamen aliorum judicium; præcipuè verò,

verò, Doctissimi Sanctissimiq; totius *Hiberniæ Primatis* comprobatio. Nec est reverà cur multorum morer censuras; cùm hæc ipsa DE IUSTIFICATIONE EX SOLA FIDE positio sit expressa tùm *Veterum Patrum*, tùm *Reformatarum Ecclesiarum*, præsertim *Venerandæ Matris* * *Anglicanæ* doctrina, è *Sacris literis* apertè deprompta. Undè, non solùm Pontificiorum periculosam, *de operibus cum fide cooperantibus in justificationis negotio*, sententiam meritò rejicimus; sed & Socinianorum item pernicioſum hac in re dogma prorsùs aversamur; qui † *per bona opera, qualia præcipit Iesus Christus, Deum nos justificare* contendunt: ac *inter justificantem fidem & bona opera, nullam, nisi ratione intellectus, differentiam* constituunt. Ambo, contra luculenta sacræ Paginæ atq; piæ Antiquitatis testimonia, hîc à me producta. Quæ demùm, ut clariùs eluceant, Tibi (Christiane Lector) *à Patre Luminum, à quo*

* Viz. in Artic. XI. ceu Textu; qui nos remittit ad Homil. De justific. velut Commentarium. sc. Homil. 3. De Salvat. Part. 1. Ubi ab *officio justificandi, Spes & Charitas* imò *pœnitentia* nominatim excluditur. Tom. 1. pag. 14. & 15.

† *Vid. Socin. Tract. de justitiâ. Tit. de Fide & Operib. pag.* 60.

est

est omne bonum & perfectum Donum, precor rectum in omnibus intellectum. *Vale Cal. April.* Anno. Dom. ↄIↃ IↃC XL.

R. H.

Perlegi hunc librum *De Justificatione*, &c. eumq; typis mandari permitto.

ED. PARRY *Reverendissimi in Christo Patris Archiep. Dublin. Sacellanus.*

Decemb. 5. 1639.

ADMONITIO ad Lectorem.

NOta (Lector) quód *Ambrosij, Hieronymi, Augustini*, & reliquorum Sententiæ in priori Opusculo citatæ, à pag. 7. ad 21. eorundem verbis ipsissimis exprimuntur: licèt Typographi incuriâ, non diverso (ut oportuit) Charactere, ab Authoris verbis sat commodè distinguuntur.

ERRATA verò in nonnullis exemplaribus sic corrigenda.

Nazianzen. pag. 2. lin. 4. & p. 3. l. 14. & p. 13. ult. *Hic* p. 17. l. 6. *extrinsecè impell.* p. 50. l. 22. *Annon* p. 60. l. 12. *Venens* p. 70. l. 14. *dedicimus* p. 75. l. 6. *offendimus* p. 77. l. 26. *Nos autem* p. 78. l. ult. *ubi dixerimus h. e. justificationem soli fidei: at exempla h. e. salvationem, &c.* p. 81. l. 20. *justiora* p. 84. l. 17. *annorum* p. 92. l. 9.

DE IVSTIFICATIONE EX SOLA FIDE

Patrum Fides, vel Sententia, *Proteſtantium* Doctrinæ Conſentanea.

Doctiſſimo viro, ac Dilectiſſimo Conſanguineo. N. T. *Salutem.*

QUod ſæpiùs à me flagitaveras (mi Amantiſſime) quodq; nec gravatim in me receperam, id ego primo quoque tempore præſtare ſtatueram. Abſit enim, ut in ſummo *fidei* negotio fidem fallerem, aut dum juſtificationem fidei contra merita defenderem, perfidiæ interim reus meritò arguerer. En igitur, concordes hac in re veterum

Huius Scripti Occaſio & Scopus.

ſententias, quas mihi obſervaſſe contigit, in breviſſimam quandam Synopſin à me redactas: ſcilicèt ex Græcis, *Athanaſij*, *Baſily*, *Nazianzeni*, *Chryſoſtomi*, *Oecumenij* & *Theophylacti*; ex Latinis, *Ambroſij*, *Hieronymi*, *Auguſtini*, *Hilarij*, *Primaſij* & *Bernardi*. Hi omnes duodecim numero, juratiſſimi viri, HOMINEM SOLA FIDE IUSTIFICARI, uno ore pronunciant: imò ſinguli (haud uno ferè exempto) vocabulum illud SOLA, quod ſummoperè notandum, διαῤῥήδην uſurpant.

Duodecim juratiſſimi Patres pro juſtificatione ex SOLA FIDE.

I.

Athanaſius.

Athanaſius igitur, ſic ſuam protulit ſententiam. Αβραάμ ὁ πατριάρχης οἵτε ἄλλοι ἅγιοι περὶ ὧν ὁ Παῦλος φησὶ, Γεδεὼν, Βαράκ, —— οὐκ αἵματος ἐκχυθέντος ἐτελειώθησαν, ἀλλὰ διὰ πίστεως ἐδικαιώθησαν. *Orat.* 1. *Cont. Arrian. prope finem.* Et rurſus. οὐ χρειὰν ἔχει λοιπόν τις περιτέμνεσθαι — ἀρκούμενος τῇ πίστει τοῦ Αβραάμ. οὐ γὰρ ἐκ τούτων, ἀλλ' ἐκ πίστεως δικαιοῦται τις, καθάπερ καὶ Αβραάμ. *In Synopſ. S. Script. Epiſt. ad Rom.* En opera neq; *moralia*, ut *ſanguinis effuſio* pro veritate, neq; *ceremonalia*, ut *circumciſio* & ſimilia juſtificant. Ergo nulla. FIDES autem, Abrahæ SUFFICIT. Ergo ſatis eſt ſola ad juſtitiam.

Baſilius

Basilius item clarius. Λέγει δὲ ὁ Ἀποστόλος· ὁ καυχώμενος, ἐν κυρίῳ καυχάσθω, ὅτι χρεὶς ἡμῖν ἐγένετο σοφία ἀπὸ Θεοῦ δικαιοσύνη τε &c. ἄυτη γὰρ ἡ τελεία καὶ ὁλόκληρος καύχησις ἐν Θεῷ, ὅτε μήτε ἐν δικαιοσύνῃ ἧς ἐπαίρει τῇ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἐγνωμὲν ἐνδεῆ ὄντα ἑαυτὸν δικαιοσύνης ἀληθοῦς, πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς χρεισὸν δεδικαιωμένον. καὶ καυχᾶται παῦλος ἐν τῷ καταφρονῆσαι τῆς ἑαυτοῦ δικαιοσύνης, ζημίαν δὲ τὴν δι' χρεισὸν τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην ἐν τῇ πίστει, &c. *Homil. de Humil. circa medium.* Satis est verba fideliter recitasse. II. *Basilius.*

Nazianzenus quoque sic. Τί τούτου συντομώτερον ἢ πλέον; ἢ τίς αὕτη τῆς δωρεᾶς εὐκολώτερον; ὁμολόγησον Ἰησοῦν χρεισὸν, καὶ πίστευσον ὅτι ἐκ νεκρῶν ἐγήγερται, καὶ σωθήσῃ· δικαιοσύνη γὰρ καὶ τὸ πιστεῦσαι μόνον· σωτηρία δὲ παντελὴς τὸ καὶ ὁμολογῆσαι. &c. πρὸς ἐυταξίας. *Orat. 26. prope finem.* Ecce justificationē, hoc est, absolutionem à peccatis, in qua salus inchoatur, SOLI FIDEI attribuit; salvationem verò perfectam, hoc est, Dei fruitionem in cœlis, absque piâ fidei confessione & sanctâ morum conversatione, neutiquam obtineri nobiscum asserit. III. *Nazianzenus.*

IIII. *Chrysostomus.*

Chrysostomus etiam *Homil.* 2. *in Rom.* 1.17. Δικαιοσύνη θεοῦ] ὁ γὰρ, ἔφη ἐξ ἱδρώτων καὶ πόνων αὐτὴν (δικαιοσύνην) κατορθοῖς, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἄνωθεν δωρεᾶς λαμβάνεις, ἓν μόνον εἰσφέρων οἴκοθεν τὸ πιστεῦσαι. εἶτα ἐπειδὴ ἀπίθανος ὁ λόγος εἶναι ἐδόκει, εἰ ὁ μοιχὸς καὶ μαλακὸς —— οὐχὶ κολάσεως ἀπαλλάττεται μόνον, ἀλλὰ καὶ δίκαιος γίνεται, καὶ δίκαιος τὴν ἀνωτάτω δικαιοσύνην, ἀπὸ τῆς παλαιᾶς πιστοῦται (ὁ Ἀπόστολος) τὸν λογὸν, καὶ πέλαγος ἱστοριῶν ἀναπετάννυσι. scil. *Hebr.* 11. uti fusiùs legas in sequentibus. Item, *Homil.* 7. *in Rom.* 3.27. ποῦ ἡ καύχησις] ἐνταῦθα τὸ δυνατὸν δείκνυσι τοῦ θεοῦ, ὅτι οὐ μόνον ἔσωσεν, ἀλλὰ καὶ ἐδικαίωσε, καὶ εἰς καύχησιν ἤγαγε, καὶ οὐδὲ ἔργων δεκθεὶς, ἀλλὰ πίστιν ζητήσας μόνον· ὁμοῦ γὰρ τὶς ἐπίστευσε, καὶ ἐδικαιώθη. Denique, *Homil.* 5. *in Eph.* 2. 15. Τί ἐστι (τὸν νόμον &c.) ἐν δόγμασι καταργήσας.] ἢ τὴν πίστιν οὖν φησὶ, δόγμα αὐτὴν καλῶν, ἀπὸ γὰρ πίστεως μόνης ἔσωσεν, ἢ τὴν παραγγηλίαν. &c. *Ibid.* Nota obsecro ad justitiam nil afferimus οἴκοθεν, nisi ἓν μόνον, nempe fidem, non charitatem, non aliud quodvis infusum à Deo Donum, nobisq; inhærens.

rens. Quodq; prorsus ἀπίθανον & incredibile videtur, (pontificijs) μοιχὸς καὶ μαλακὸς, id est, impius in se, justus fit ἔνωθεν ex fide, hoc est, justificatur justitiâ Dei per fidem Iesu Christi. Deus enim πίστιν ζητεῖ μόνον. imo simul ac quis credidit, καὶ ἐδικαιώθη.

Oecumenius similiter *in Rom.* 3. 21. V. Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου.] ἐπιδιεξὰς (ὁ Ἀποστόλος) αὐτὸς μηδὲν ὠφελημένος ἐκ τοῦ νόμου, καὶ εἰς ἐπιθυμίαν ἀγαγὼν μεθόδῳ σῶσαι δυναμένης, εὐκαίρως εἰς τὴν πίστιν εἰσβάλλει χριστοῦ. Et paulò post *in vers.* 22. Δικαιοσύνη δὲ θεοῦ.] πᾶς ἂν σωθείη μὲν εἴποι τις χωρὶς νόμου; δικαιοῦται δὲ ἐκ θεοῦ δικαιοσύνης φησὶ τὴν παρὰ θεοῦ δικαιουμένης. ἡ δικαιοσύνη θεοῦ (ἐστὶ) καὶ ἀπὸ θεοῦ δικαίωσις καὶ ἀθώωσις, καὶ ἀπαλλαγὴ τῶν ἁμαρτιῶν, ὧν ὁ νόμος ἐκ ἴσχυσεν ἀπαλλάξαι. Et *in vers.* 23. πάντες γὰρ ἥμαρτον.] διὸ πάντες πιστεύοντες εἰς χριστὸν, δωρεὰν δικαιοῦνται, τὸ πιστεῦσαι μόνον συνφσάγοντες· πῶς δὲ δικαιούμεθα; ἀπολυτρούμενοι τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν· διὰ τινὸς δὲ; διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ. &c. Deniq; in *Rom.* 4. 1. τὶ οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ εὑρηκέναι;] τὶ οὖν, ὅτι εἶχεν ἔργα ὁ Ἀβραάμ; *Oecumenius.*

ὅτι

οὐκ ἐδικαίου ταῦτα αὐτὸν; μὴ γένοιτο. ἔργα μὲν γὰρ εἶχεν, ὥστε πρὸς τοὺς συμπολιτευομένους αὐτῷ ἀνθρώπους κρινόμενον δικαιωθῆναι, καὶ προκριθῆναι ἐκείνων· τὸ δὲ πρὸς τὸν θεὸν δικαιωθῆναι ἐκ τῶν ἔργων αὐτοῦ παντελῶς ἀπελείπετο. Non novi equidem, quid pro nobis contra pontificios dici potuit expressius, ubi docet quod justitia Dei, id est, quâ justificamur à Deo, non est justitiæ qualitas infusa &c. sed Αθώωσις, id est, Absolutio rei per acceptilationem & Remissio peccatorum, idque gratis per Christum, nobis peccatoribus τὸ πιστεύσαι μόνον adferentibus: adeò ut licèt ipse Abraham, si cum alijs hominibus conferatur, justus apud eos, imò præ ijs judicetur, attamen apud Deum nequaquam ex operibus justificetur.

VI. *Theophylactus.*

Theophylactus deniq;, ut ex vetustissimo manuscripto in publicâ Bibliothecâ Oxon. transcripsi, sic se expressit in Gal. 3. 11. Ὅτι ἐν νόμῳ οὐδεὶς δικαιοῦται.] Δειξὰς (ὁ Απόστολος) ὅτι ὁ νόμος ἐπικαταράτους ποιεῖ, ἡ δὲ πίστις εὐλογεῖ. νῦν δείκνυσιν ὅτι καὶ ἡ πίστις μόνη δικαιοῖ, καὶ οὐκ ὁ νόμος. καὶ παράγει τὸν Αβακουκ λέγοντα, ὅτι ἐκ

πίστεως

πίστεως δίκαιος ζήσεται· ἐπεὶ οὖν ὁ νόμος διὰ τὸ δυσκατόρθωτον, ὅτε ἐδικαίου, καὶ ὑπὸ κατάραν ἐποιεῖ, ἦλθεν ἡ χάρις ῥαδίαν ὁδὸν δεικνύσα τὴν πίστιν, δι' ἧς δικαιούμενοι εὐλογούμεθα. &c. Num vis aliquid explicatius & ad ſcopum noſtrum accommodatius? ἡ πίστις μόνη δικαιοῖ &c. non autem lex ſcilicet moralis, quæ maledictioni reddit obnoxios. *Deut.* 27. 26. cum eam præſtare minimè valeamus. Hæc ego ſingula in tuam gratiam (mi Amantiſſime) ex ipſis fontibus hauſi atque expreſſi. Et *tardi* quidem *ingenij* eſt (ut apud oratorem legimus) *rivulos ſectari, fontes negligere.* imò inde omnia dulciora & clariora fluunt. Sed à Græcis ad Latinos feſtinemus.

Ambroſius itaque in editione Romæ impreſſâ, ſic ſuam explicat ſententiam in *Rom.* 4. 5. *Ei verò, qui non operatur.*] Quomodo ergo Iudæi per opera legis juſtificari ſe putant juſtificatione Abrahæ, cum videant Abraham non ex operibus legis, ſed SOLA FIDE juſtificatum? non ergo opus eſt lege, quando impius per SOLAM FIDEM juſtificatur apud Deum, &c. Et paulò poſt in verſ. 8. *Beatus vir, cui non imputabit Deus peccatum.*] manifeſtè beati ſunt, quibus ſine labore vel opere aliquo re- VII. *Ambroſius.*

mittantur iniquitates, & peccata teguntur, *nullo* ab his *requisito pœnitentiæ opere* nisi *tantum* ut *credant*. Remittere & tegere & non imputare una ratio & unus est sensus. &c. *Ibid.* Quid clarius?

VIII. *Hieronymus.* *Hieronymus* itidem, in *Rom.*4.5. *Credenti autem*,&c.] Convertentem impium per SOLAM FIDEM justificat Deus, non opera bona, quæ non habuit, alioquin per impietatis opera fuerat puniendus. Simul attende, quia non peccatorem dicit justificari per fidem, sed impium, hoc est,nuper credentem. *Secundum propositum gratiæ Dei.*] qui proposuit gratis per SOLAM FIDEM peccata dimittere. Et paulò post in illa verba, ut sit pater omnium Credentium per præputium, *ut reputetur & illis ad justitiam.*] ut omnes qui ex Gentibus credunt, filij sint Abrahæ, dum & illis SOLA FIDES ad justitiam reputatur, &c. Quid apertius?

IX. *Augustinus.* *Augustinus* quoq; sic. *Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad justitiam.*] Ecce sine Opere justificatur ex Fide, & quicquid illi legali posset observatione conferri, totum CREDULITAS SOLA donavit. *De Temp. Serm.* 68. *in principio.* Et rursus, *Credidit Abraham Deo, &c.*

Quod

Quod credidit Deo intùs in corde, in SOLA FIDE est. Quod autem, immolandum duxit filium, & magna Fides est utique & magnum opus. Quare ergo Apostolus *Paulus* ait, *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus Legis?* (Responsum attende) Credidit aliquis, percepit fidei Sacramenta & mortuus est; defuit illi operandi tempus. quid dicimus? quia non est justificatus? planè dicimus justificatum credentem in eum qui justificat impium. Ergo iste justificatus est & operatus non est; impletur Sententia Apostoli dicentis, *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus Legis.* Latro corde credidit ad justitiam, &c. *Ibid. Serm. 72. in fine.* Similia habet *Tom. 4. Octogintatr. Quæst. q. 76.* Quid amplius?

X. *Hilarius.*

Hilarius item *in Matth. Canon. 8°.* In Paralytico Gentium universitas offertur medenda, & curationis ipsius verba sunt contuenda. *Constans esto fili, remissa sunt tibi peccata tua.*] In Adam uno peccata universis gentibus remittuntur. Movet scribas remissum ab homine peccatum. Hominem enim, tantum in Iesu Christo contuebantur, & remissum ab eo quod Lex laxare non poterat. FIDES enim SOLA justificat.

justificat. Quid planius?

XI. *Primasius.* *Primasius* etiam in Rom. 4. 3. *Credidit Abraham Deo, &c.*] Tam magna fuit dono Dei fides Abrahæ, ut & pristina ei peccata donarentur, & SOLA ei pro omni justitiâ duceretur accepto. *Et reputatum est illi ad justitiam.*] compensatum. SOLA fides. Et in vers. 6. *Sicut & David dicit beatitud. hominis.*] Magna beatitudo est *sine labore legis* vel *pœnitentiæ* FIDEM per SOLAM gratiam promereri secundum propositum Dei, quo proposuit gratis peccata dimittere. *Cui Deus accepto fert justitiam sine operibus.*] Illi accepto fert justitiam sine operibus, qui per fidem & de præterito absolvitur, & de præsenti justificatur, & ad futura fidei opera præparatur. Quod remittitur non est, quod tegitur non paret, & ideò nec imputatur, &c. Quidam dicunt remitti peccata per Baptismum, tegi lachrymis pœnitentiæ, non imputari ulla peccata in martyrio, quamvis TOTUM in FIDE Baptismi potest intelligi: tamen cum remissa fuerint delicta, diligitur Deus; cui enim, plus remittitur, plus diligit, &c. *Ibid.* Quid accommodatius?

XII. *Bernardus.* *Bernardus* deniq; in hunc modum. Tam validus es (Domine Iesu) ad justificandum, quam

quam multus ad ignoſcendum. Quamobrem, quiſquis pro peccatis compunctus eſurit & ſitit juſtitiam, credat in te, qui juſtificas impium, & SOLAM juſtificatus per FIDEM pacem habebit ad Deum. Qui autem, juſtificati à peccatis ſectari deſiderant Sanctimoniam, ſine quâ nemo videbit Deum, audiant te clamantem, *ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.. In Cantic. Serm. 22. circa medium.* Et paulò poſt, Paſſio tua (Domine) ultimum refugium, ſingulare remedium deficiente ſapientiâ, juſtitiâ non ſufficiente, ſanctitatis ſuccumbentibus meritis, illa ſuccurrit. Delicta juventutis meæ ne memineris & juſtus ſum, deduc me, Domine, in viâ tuâ & ſanctus ſum. (ubi juſtificationem à ſanctificatione ſatis apertè diſtinguit.) *Ibid. prope finem.* Quid elegantius ac eruditius?

Hiſce duodecim, qui ſunt omni exceptione majores, addam & alios totidem numero, nec antiquitatis nec authoritatis contemnendæ viros, ſcilicèt *Origenem*, *Theodoretum* & *Iſychium* haud ignobiles Græcos; *Bedam* & *Anſelmum* venerabiles * Anglos; *Sedulium Scotum* & *Remigium Gallum*, egregios Theologos; *Pet. Lombardum*

Alij 12. viri haud ignobiles.

* *Saltem habitatione, etſi non natione.*

bardum & *Tho. Aquinatem*, Schol. Doctores insignissimos; *Rabanum Maurum*, *Nic. De Lyra* & *Nic. Gorranum* Bibli. Expositores celeberrimos.

I. *Origenes.*

Origenes igitur, ut latinè habetur (neq; enim ipse mihi Græcus in hac parte, nec *Theodoretus*, nec *Isychius* occurrit) Is, inquam, primus in Ecclesiâ Christianâ sacræ paginæ Interpres ita Apostolum exposuit in *Lib. 3. cap. 3. ad Rom. v. 28.* Et dicit (B. Paulus) sufficere SOLIUS FIDEI justificationem, ita ut credens quis *tantummodò*, justificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum. Imminet igitur, ut requiramus, quis sine operibus, SOLA FIDE justificatus sit, & sufficere arbitror illum latronem de cruce, &c. Sed & ex nullo legis opere, sed pro SOLA FIDE *ait ad eam* (sc. mulierem peccatricem *Luc. 7.*) *remittuntur tibi peccata tua*, &c. Sed & in multis Evangelij locis hoc sermone usum legimus Salvatorem, ex quibus omnibus claret quod rectè arbitratur Apostolus *justificari hominem per fidem sine operibus Legis.* Sed fortasse hæc aliquis audiens resolvatur, & benè agendi negligentiam capiat, si quidem ad justificandũ SOLA FIDES sufficiat. Ad quem dicemus, quia post justificationem, si injustè

quis

quis agat, sine dubio justificationis gratiam sprevit. Neq; ob hoc quis accepit veniam peccatorum, ut rursus sibi putet peccandi licentiam datam, &c. *Ibid.* En vulgarem hodiernorum Papistarum objectionem antiquitùs solutam.

II. *Theodoretus*

Theodoretus etiam, vir ex *Bellarmini* sententiâ planè doctissimus, *in Rom* 3. 24. *Justificati gratis, &c.*] SOLA enim FIDE allatâ peccatorũ remissionem accepimus, &c. (En quid sit justificari gratis.) Et mox, Dominus Christus & Deus est & propitiatorium & Pontifex & Agnus, & in suo sanguine nostram salutem procuravit, SOLAM à nobis FIDEM exigens. Et rursus, *Compendiosam* sibi parandæ salutis *rationem* dedit Deus hominibus, nempè *fidem*. Deniq; *in Ephes.* 2. 8. Dei gratia nos his bonis dignata est. Nos enim, SOLAM FIDEM attulimus. quin ejus etiam divina fuit gratia adjutrix. Hoc enim subjunxit (Apostolus) *Et hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Non enim nostrâ sponte credidimus, sed vocati accessimus, & cum accessimus non exegit vitæ puritatem & innocentiam, sed SOLA FIDE susceptâ condonavit peccata, &c. *Ibid.*

III. *Isychius*

Isychius quoq; *Nazianzeni* discipulus, vir,

vir, teste *Trithemio*, in divinis scripturis eruditissimus. *lib. 4. in Lev. cap. 14. Sacerdos assumat duos agnos* (scil. ad leprosum mundandum) *& olei sextarium.* &c. Quamobrem sextarium olei vel cotylam dixit? quia miseratus, inquit, Deus humanum genus, quum illud ad explenda legis opera infirmatum vidisset, jam non ex operibus salvare, sed per gratiam hominem voluit. Gratia verò ex misericordiâ atque compassione præbetur, & FIDE comprehenditur SOLA, non ex operibus, ut *Paulus* dicit. *Ibid. pag.* 18.

IIII. *Beda.* *Beda* item venerabilis cum B. *Augustino* in *Rom. 3. 20. Quia non justificabitur ex lege omnis caro coram Deo.* Potest enim fieri coram hominibus, non autem, coram illo, qui cordis ipsius & intimæ voluntatis inspector est. &c. *Nunc autem, justitia Dei.* &c.] Iustitia Dei, non quâ justus est Deus, sed quâ *induit* hominem cum justificat impium. Et in *vers.* 28. Iustificatus per fidem non potest nisi justè deinceps operari. &c. Quod si cum crediderit, mox de hâc vitâ decesserit, justificatio fidei manet cum illo nec præcedentibus bonis operibus, quia non meritò ad illam, sed gratiâ pervenit; nec consequentibus, quia in hâc vitâ esse

non

non ſinitur : unde manifeſtum quod *Paulus* Apoſtolus dicit, *Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus*, &c. Denique in *Rom.* 10.3. *Ignorantes Dei juſtitiam & ſuam* &c.] Si per legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, ſi autem, non gratis, in illo SOLO juſtificatur impius, cui credenti in eum, qui juſtificat impium, deputatur fides ejus ad juſtitiam. &c. *Ibid.*

V. *Anſelmus.*

Anſelmus etiam Cantuar. ſanctitate & eruditione præcellens in *Rom.* 4.5. *Ei verò qui non operatur, &c.*] id eſt, qui poſtquam baptizatus eſt, non habet tempus operandi, vel propter infirmitatem non poteſt operari, quanquam velit, ſed abſque opere de hâc vitâ rapitur cum fide & bona voluntate, huic nihil operanti, ſed *tantummodò credenti* in eum qui juſtificat impium, id eſt in Deum, reputatur fides ejus ad juſtitiam, id eſt, SOLA FIDES ſufficit ei ad juſtitiam, & ita ad ſalutem ſecundum propoſitum gratiæ Dei. &c.

VI. *Sedulius.*

Sedulius inſuper in *Rom.* 1. 17. Iuſtitia Dei eſt quod futurum fuerat, ut quomodo *Abraham* credens ex Gentibus per SOLAM FIDEM juſtificatus; ita cæteri fidem ejus imitantes ſalvarentur.

VII. *Remigius.*

Remigius quoque in *Rom.* 3.24. *Juſtificati*

cati gratis.] Gratis dicit, id est sine ullis præcedentibus meritis. *v. g.* venit ad Baptismum, nil boni unquam fecit, baptizatur, statimq; justificatur, quia dum in eum (Christum) credimus, & ejus sanguinem pro nobis fusum confitemur, sine quo purificari non possumus, ex *integro* justificamur.

VIII. *Lombardus.* *Pet. Lombardus* item *in Rom.* 4. 5. *Ei verò qui non operatur*, id est, qui non habet tempus operandi, sicut *Abraham* habuit, *credenti autem in eum qui justificat impium*, id est, si credit in Christum, qui gratis peccata impio dimittit, FIDES ejus SOLA *reputatur ad justitiam*, id est sufficit ad justitiam, quam opera non meruerunt, & ita sufficit ad salutem.

IX. *Aquinas.* *Tho. Aquinas* similiter in idem *cap. ad Rom. Lect.* 1. *Ei verò qui non operatur*, scilicèt exteriora opera, sicut patet in Baptizato statim mortuo, *credenti autem in eum qui justificat impium*, scilicèt in Deum, reputabitur FIDES ejus sc. SOLA sine exterioribus operibus ad justitiã, id est, ut per eam justus dicatur & justitiæ præmium accipiat, sicut si opera justitiæ fecisset, secundum illud, *Corde creditur ad justitiam*, &c. *Ibid.* Quanquam non negaverim hosce

Schol.

Schol. Doctores haud sibi satis ubiq; constare. imó verisimile est horum Discipulos, & imprimis Iesuitas illud subterfugium de necessitate operum, si non exteriorum, saltem interiorum ab ijsdem didicisse. Hîc tamen expresè docent, SOLAM FIDEM reputari vel SUFFICERE ad justitiam.

Rabanus etiam *Maurus*, seu Author Glossæ Ordin. in *Jac.* 2. 21. Abraham per opera quæ fecit, non fuit justus, sed SOLA FIDE. Oblatio autem ejus fuit testimonium Fidei. Nil pro nobis brevius & apertius. X. *Rabanus.*

Nicolaus quoq; *de Lyra* in *Gal.* 3. *in Addit.* Patet quód justitia justificans est ex SOLA FIDE, scilicèt formatâ, etiam sine aliquo opere exteriori. XI. *Lyranus.*

Gorranus deniq; in Rom. 4. 3. *Credidit Abraham Deo, &c.* Credebat priùs & reputatum est ipsum credere illi ad justitiam. Reputatio est ei sufficiens causa justificationis & salutis: & dicit reputatum, quia secundú veritatem *justitia nostræ sunt quasi pannus menstruatus, Esa.* 64. Et paulò post. *Ei qui non operatur*, id est, qui non habet tempus, &c. si solum credit in Christum, licèt non operetur, reputatur ejus FIDES XII. *Gorranus.*

SOLA ad justitiam, &c.

Hoc est amplissimum 24. Seniorum Testimonium; quo audito, sit demum ipse *S. Paulus* ARBITER; Et, *Arbitramur*, inquit, *justificari hominem per fidem sine operibus.* (ergò *solâ fide.*) Rom. 3. 28 imò *Scimus non justificari hominem nisi per fidem Jesu Christi.* (*non nisi*, ergo *solam per fidem.*) Gal 2.16. sicut non intrabit in eam (civitatem cœlestem) * ἐι μὴ, nisi scripti in libro vitæ. Ergo soli scripti, &c. *Rev.* 21.27.

S. Pauli Arbitrium post 24. Seniorũ Testimonii.

* *Simile vid. Matth.* 12.4.

Certè, cùm ista omnia mente reputo, summam Pontificiorum, *Smithæi* præ reliquis impudentiam vel imprudentiam in *Prudentiæ* suæ *Bilance* satis mirari nequeo, ubi *Lutherum* mirè exagitat, quasi *ipse primus hanc doctrinam velut novam prorsus et hæreticam in Ecclesiam invexerit, nec posse nos*, inquit, *vel unum aliquem ante Lutheri tempora in medium proferre, qui* SOLIUS FIDEI *justificationem asseret*; cùm ipse Beatus Apostolus, cùm veneranda patrum canicies, cùm unusquisque ferè doctus ac pius, multis retrò seculis, idem planè sensit ac docuit; adeò ut facilè credam eos omnes, quorum memini, non absq; singulari quâdam divini numinis providentiâ hanc ipsam doctrinam tam disertè & nominatim,

Smithæi impudentia vel imprudentia in prudentiæ *suæ* Bilancc.

minatim, præcipuè ubi sacras scripturas interpretandas susceperint, uno ore, velut uno spiritu afflatos posteris tradidisse.

Novi tamen, varias Iesuitarum strophas & obliquos flexus, quibus istiusmodi sententias eludere, & sese velut angues extricare & expedire satagunt. Sed tanto Testimoniorum non magis numero pressi quam pondere oppressi nunquam effugiant aut elabantur. Neq; enim, quicquam valeat ista *Fidei* distinctio in *formatam* & *informem*; *Justificationis*, in *primam* & *secundam*; *Operum*, in *externa* & *interna*, *moralia* & *ceremonialia*, *fidem præcedentia* & *subsequentia*, ex *naturâ* & *gratiâ*, &c. quæ singula enucleare à nostro alienum est instituto. Hoc tamen, obiter annotare libet, quòd perperam omnino distinguunt de *operibus* ex *naturâ* seu lege, quasi hæc solummodò in scripturis *nostra* dicantur; cum & ea quoq; *nostra* vocentur, quæ nobis à *Dei gratiâ* infunduntur. Ut *Fides* TUA *te salvum fecit*. *Matth.*9.22. Et, *novi opera* TUA. *Apoc.*2.2. Breviter, *Nisi abundaverit justitia* VESTRA, *Matth.* 5.20. Malè igitur, S. *Paulum** interpretantur, *Phil.*3.9. quasi per *justitiam suam*, tantùm intelligeret opera facta solis *naturæ*

Pontificiorum varia subterfugia.

* *Vid. Bellar. de justific. lib.* 2. *cap.* 10.

tura viribus; cùm & opera facta per adjutorium *gratiæ* manifestè includit. Non enim, de se modò in præterito dicit, ἤγημαι, *duxi*; sed etiam in præsenti ἡγοῦμαι, *duco*. Ut appositè *Chrysostomus* in locum, imò, πάντα εἶπε καὶ τὰ πάλαι καὶ τὰ παρόντα, *Omnia dixit & præterita & præsentia duco stercora, ut inveniar in Christo, non habens meam justitiam*, &c. Apostolus autem, ut opinor, cum ista scriberet, fuit utiq; in statu *Gratiæ*, & habuit quoq; opera ex *gratiâ*. adeo ut legis moralis observatione nemini fuerit secundus. Noluit tamen, istis confidere, nec ex istis à Deo judicari, nec istam *suam justitiam* coram Deo proferre, sed eam quæ est ex Fide Christi.

Chrysost. in Phil. 3. 8.

Deniq; non sum nescius ipsos S. Patres alicubi FIDEM SOLAM, hoc est, solitariam cum B. *Jacobo* & mortuam improbasse. Undè scitè *Augustinus*, Quousq;, inquit, falluntur, qui fide mortuâ sibi vitam perpetuam pollicentur? *Lib. de fide & operibus, cap.* 14. Veruntamen in justificationis negotio, SOLAM FIDEM nempe vivam, ut abundè patuit, agnoscunt. Et alienâ nos *justitiâ*, scilicèt Christi nobis *imputatâ* & fide apprehensâ justos esse, vel apertissimè docent

Augustin. de Fide & Operibus. cap. 14.

docent. Divus imprimis *Augustinus* in illa verba, 2 *Cor.* 5. 21. *Eum qui non noverat peccatum* (sc. Christum) *pro nobis peccatum fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso.*] Ipse ergo (inquit) peccatum, ut nos justitia, nec nostra, sed Dei simus, nec in nobis, sed in ipso, sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum, nec in se, sed in nobis constitutum similitudine carnis peccati, in quâ crucifixus est, demonstravit. in *Enchirid. cap.* 41. Quid brevius & accommodatius? Undè & apud *Suidam* legimus, quod verbum δικαιοῦν est propriè τὸ δίκαιον νομίζειν, non autem τὸ δίκαιον ποιεῖν. ut vox *justificare* apud Latinos sonat, sed non significat: sicut nec *magnificare* idem valet quod magnum facere, sed prædicare. Ratio est, quia ista vocabula significationem non *Latinam*, sed *Hebraam* & *Græcam* imitantur. Non est igitur, cur Pontificij hanc Christi justitiam nobis imputatam, tanquam *putativam ridicant & minimè veram.* Nam sicut duo mala traximus ab Adamo, scilicèt reatum & vitium: sic duo reverà bona recipimus à Christo, nempe justificationem & sanctificationem: illam, quâ absolvimur à reatu, dum ipsius justitia nobis imputatur;

Idem in Enchirid. cap. 41.

Suidas in verbo δικαιοῦν.

Justitia imputata minimè putativa.

hanc, quâ indiès renovamur & purgamur à vitio, dum ab ipsius spiritu sanctimonia nobis infunditur. Hæc omnia clarè & præclarè innuit Apostolus ad *Rom.* 5. 19. *Sicut enim, per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obedientiam justi constituentur multi.*

Hujus Doctrinæ usus eximius.

Hæc utiq; SOLIUS FIDEI justitia, cùm miseris hominibus solatium, tùm misericordi Deo gloriam vel maximam adfert. Ac primùm, miseris solatium. Nam *justificati fide pacem habemus apud Deum per Jesum Christum Dominum nostrum*, *Rom.* 5. 1. Deinde, misericordi gloriam. Nam *Christus factus est nobis à Deo justitia*, &c. *ut sicut scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur.* 1 *Cor.* 1. 31.

Restat mihi amplissima scribendi materies, nisi quòd vereor, ne & te quoque legentem plura tæderet plurimùm. Hoc unum igitur, nempè ægregium S. *Prosperi de Doctrinâ Apostolicâ epigramma* coronidis vice subjiciam,

Prosper in Epigram. 9.

Non tempus, non sexus huic, non causa resistit,
Omnes curat, alit, justificat, vegetat.
Sumite quæ magna, apposuit sapientia mensæ,
Et variis pasci discite delicijs.

Quarum

Quarum pars totum est epulum, quo quisq; juvatur:
Inde capit vitam, quam pavit UNA FIDES.

Datum Oxon, Non.
Novemb. Anno
1629.

Tui Amantissimus

Consanguineus,

ROD. HOLLINGVVORTH.

Sequuntur cujuſdam

ANONYMI Calumniæ

CONTRA

Patrum & Proteſtantium

IN

dictâ Sententiâ & Doctrinâ

Conſenſum.

Quòd nec *Catholici* nec *Smithæus* impudenter aut falsò dixerint, *Lutherum* fuisse primum, qui sub his verbis, *Homines solâ fide justificantur*, novam & hæreticam doctrinam invexerit in Ecclesiam : *prout impudenter nuper scripsit quidam.*

MINISTER.

1. Quid Minister objicit Catholicis & Smithæo.

AMice charissime, Accepi jam scriptum illud Ministri, *quod per multorum manus (ut aßeris) sparsum, tandem ad me missi, sed ita malè exaratum, ut multis in locis vix potuerim illud legere. In eo scripto* Minister *post collecta quorundam* Patrum *& aliorum dicta, quòd* [Homines solâ fide justificantur] *ait*, se non posse satis mirari summam pontificiorum, *Smithæi* imprimis impudentiam, qui in sua *prudentiali Bilance* exagitabat *Lutherum*, quasi ipse primus hanc doctrinam, velut novam prorsùs & hæreticam in Ecclesiam invexerit, nec pos-

se

se nos, *inquit*, vel unum aliquem ante Lutheri tempora in medium proferre, qui solius fidei justificationem assereret. *Sic ille.*

2. Quid solùm intenditur in hac scriptione.

Animus mihi non est refutare, quæ Minister *hic affert contra* Catholicam *fidem, tùm quia nihil novi affert, cui non sit centiès à* Catholicis *responsum, tùm etiam quia* Minister *non conatur refellere responsiones, quas* Catholici *dant ad hujusmodi dicta* patrum; *quod satis indicat animum contentionis magis quàm exquirendæ veritatis cupidum. Nam suorum hominum objectiones repetere &* Catholicorum *responsiones non refellere, quid aliud est, quàm velle contentionem perpetuam, nullum autem altercandi finem facere. Et cum facile sit inventis addere, quantula tanta est, quibusdam dictis* patrum *à suis hominibus collectis pauca quædam in unâ tantum materiâ addere. Certè hoc est, ut dici solet,* laureolam in mustaceo quærere. *Sed animus mihi est* Catholicos, *ac* Smithæum *à* Ministri *calumniâ purgare, ac ostendere miram* Ministri *ignorantiam, si nesciverit quam doctrinam sub dictis verbis* Lutherus *& Sui in Ecclesiam invexerint, aut miram impudentiam, si id sciens negaverit eos primos fuisse, qui eam in Ecclesiam invexerint.*

Scias

Sciat igitur, nec Catholicos, *nec* Smithæum *dicere* Lutherum *primum fuisse, qui his verbis, seu hac propositione,* Homines solâ fide justificantur, *usus fuerit. Norunt enim, tum* patres *aliquos, tum etiam* Eunomium Hæreticum, *teste* Augustino, *lib. De* Hæresibus, *ita locutos fuisse, licet in longo diverso sensu. Quare, non de verbis aut literis, non de finis aut apicibus, sed de re, de sensu, de sententiâ, & ut ipsemet* Minister *loquitur, de doctrinâ nempe quam* Lutherus *et Sui sub his verbis tradiderunt, tota quæstio est. Neq; etiam negant* Catholici, *vel* Smithæus *sub dictis verbis sanam ac* Catholicam *doctrinam posse contineri, id enim, antboritas* patrum *sufficienter probat, & mox ostendetur. sed tantùm volunt* Lutherum *ac Suos primos fuisse, qui sub eis novam quandam & hæreticam doctrinam nunquam ante auditam in Ecclesiam invexerunt. Hic igitur, est statut* Quæstionis *inter me &* Ministrum.

3. Auguſt. Hær. 54. Hier. in Oſeæ 4. Non de verbis ſed de doctrinâ *Lutheri* modò quæſtio eſt.

Sciat igitur, ulteriùs, Catholicos *non penitùs improbare hunc modum loquendi,* Homines solâ fide justificantur. *cum, ut mox ostendam, sanum sensum habere possit: sed solummodò, si ita intelligatur, ut negatur* Opera Fidei, *sive opera supernaturalia per gratiam*

4. In quo ſenſu Catholici negant nos ſolâ fide juſtificari.

gratiam Dei facta necessariò simul concurrere unà cum fide ad justificationem. Nam ita Conc. Trid. *loquitur* Sess 6. Can. 9. Si quis dixerit solâ fide impium justificari, ita ut intendat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam cooperetur, & nullâ ex parte necesse esse cum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit. *Audis quod* Concilium *non simpliciter damnat, si quis dixerit, impium solâ fide justificari, sed solùm si ita intelligat,* nihil aliud requiri ex parte nostrâ quod ad justificationem cooperetur. *Unde* Hosineisterius in Art. *unus ex* Catholicis *Authoribus apud* Fabritium, *qui* Confessionem Augustanam *refutarunt, ait, ante* Lutheri *ortum ejusq; hæreticum sensum introductum, hujusmodi verba non fuisse à* Catholicis *improbata. Quare, etsi* Minister *mille hujusmodi* Patrum *dicta collegisset, nihil attulisset, contra doctrinam* Conc. Trid. *seu* Catholicorum, *nisi simul etiam probasset (quod nunquam faciet)* Patres *nullam cooperationem ex parte nostrâ requisisse, præterquam fidei. Si autem,* Minister *hoc ex illis verbis inferat, dicimus, quod id dictum* patrum *non est, illa illatio* patrum *non est, imò directè contra dicta & sententiam* patrum, *ut ipsi* pro-

4. Confess. Augustanæ. Vid. Vasquez. 1.2. Disp.210. c.9.

Vid. Coccium, De justific. art. 3.

Protestantes *confitentur apud* Smithæum *lib.* 1. *De Authore protest. cap.* 3. §. 7. *sed est dictum & illatio* Ministri, *eaq; falsissima, ut jam ostendam.*

Sciat igitur ulteriùs, quod vulgare dictum est, idq; ab ipsis Protestantibus frequentissimè celebratum, Quòd Subordinata non pugnant. *Item,* Quòd Soli causæ primæ in aliquo genere causarum subordinatarum tribui potest effectus. *Hoc videmus in multis rebus tum naturalibus tum supernaturalibus. Sed brevitatis gratiâ, duobus exemplis in hac ipsâ materiâ contentus ero. Nam, quia misericordia Dei est prima causa simpliciter justificationis nostræ, solemus dicere,* Solâ misericordiâ Dei justificamur *seu salvamur. Nec tamen negamus nos justificari aut salvari passione* Christi, *sacramentis aut fide, aut alijs quæ misericordiæ Dei subordinantur. Item, quia passio* Christi *est prima causa justificationis nostræ in genere meriti, utpote proprium pretium Redemptionis nostræ, dicimus,* Solâ passione Christi justificamur *aut salvamur. Nec tamen, negamus nos justificari Sacramentis, verbo Dei, fide & similibus, quæ passioni* Christi *subordinantur. Et eodem modo, quia fides est prima causa ex parte nostrâ justificationis nostræ, quia*

5. Effectus tribui potest causæ primæ.

Vid. Calvin. in Rom. 1.

Vid. Calvin. Admonit. ult.

quia ut ait Conc. Trid. Seſs. citat. cap. 8. Eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix totius juſtificationis noſtræ, *& opera fidei ſeu ſupernaturalia, gratiâ Dei facta (quę ſola opera ad juſtificationem concurrunt) ei ſubordinantur & ex eâ tanquam radice proveniunt, rectè dicere poſſumus*, Nos ſolâ fide juſtificari, *abſq́, eo quòd negemus dicta opera etiam ad juſtificationem concurrere. Quia (inquam) talia opera ſubordinantur fidei, ex eâq́ proveniunt, non ſecus ac paſſio Chriſti à miſericordia Dei, aut Sacramenta vel fides à paſſione Chriſti proveniunt. Et in his loquendi modis vox* (SOLA) *tantùm negat quod ſit alia prima cauſa in illo genere talis effectus, ut cum dicimus*, Sola miſericordia Dei juſtificat, *tantùm negamus, quòd ſit alia cauſa prima ſimpliciter juſtificationis; non autem negamus, quòd ſit alia cauſa quęcunq́, ejuſdem. Et quando dicimus*, Solâ paſſione Chriſti juſtificamur, *tantùm negamus, quòd ſit alia cauſa Redemptionis noſtræ à peccatis; non autem negamus quòd ſit alia cauſa quęcunq́. Et ſimiliter cum dicimus*, Solâ fide juſtificamur, *negamus tantùm eſſe aliam primam ſeu radicalem cauſam juſtificationis ex parte noſtrâ, ſeu non ſubordinatam fidei; non*

Melanct. citatus in colloq. Aldeburg. p. 482. Apud Auguſt. Solâ fide excludit tantùm opera præcedentia.

non autem negamus, quòd sit alia causa quæcunq; justificationis nostræ. Et si Ministeri *infert negationem absolutam seu simplicem ex negatione determinatâ seu restrictâ, vitiosissimè arguit, & eodem modo posset inferre, nos non justificari passione* Christi, *quia solâ misericordiâ Dei justificamur & salvamur; aut non justificari sacramentis, verbo Dei aut fide, quia solâ passione* Christi *justificamur. Unde patet clarissimè, ex hoc nudo dicto Patrum,* Solâ fide justificamur, *eum nihil posse inferre contra* Catholicos. *Hoc autem dico, suppositò, quod omnia dicta* Patrum, *quæ* Minister *citat, sint verè allegata, quod ob defectum Librorum non potui explorare. Dubitare autem me facit ejus mala fides in citandis verbis Apostoli,* Rom. 3. vers. 28. & Phil. 3. vers. 9. *quæ truncatè refert, omittendo in priori loco, vocem* Legis: *& in posteriori,* Quæ est ex Lege. *quibus vocibus indicavit Apostolus se solùm negare* opera Legis, *non autem,* opera fidei *justificare, & solum rejicere* justitiam *quæ est ex* Lege, *non autem* justitiam, *quæ est ex* fide. *Quo autem modo, hæc mutilatio verborum* Apostoli *respondeat protestationi hujus* Ministri *in initio sui scripti,* Cavendum imprimis, ne in

Negatio absoluta non potest inferri ex restrictâ.

Mala fides Ministri in citandis verbis Apostoli.

in summo fidei negotio, fidem ipse fallerem, aut dum justificationem fidei contra merita defenderem, perfidiæ interim reus meritò arguerer, *ipse viderit. Annon enim fidem fallit; annon perfidiæ reus meritò arguitur, qui in tanto fidei negotio, imò in ipso fine fidei, qui est justificatio, tam notoria tantiq; momenti* Apostoli *verba truncat; ut cum* Apostolus *locis citatis solùm rejecerit* justitiam *quæ est ex* Lege, *videatur simpliciter negasse hominem justificari operibus quibuscunq;, & rejecisse justitiam quamcunq; in homine. Qui hoc in* Apostoli *tamq; notatis verbis agit, quid ni idem audebit in* Patrum *verbis, eisq; multò minùs notis? Atq; ita ostensum est quomodò* Catholici *non penitùs improbant, (secluso sensu Hæreticorum) hujusmodi verba,* Homines solâ fide justificantur; *deinde, quis sanus sensus eis posset subesse; & demùm quomodò ex illis nudis nihil sequitur contra* Catholicam *doctrinam; ita ut* Minister *operam luserit in eis nudè colligendis. Restat ostendere quòd* Lutherus *ac Sui novam & hæreticam doctrinam sub his verbis in ecclesiam invexerint, ita ut nec unum in medium proferre possint, qui eam ante* Lutheri *tempora asseruerit. Quanquam etiam hoc jam*

ex

ex parte fecerimus, cum oſtenderimus ex ipſis dictis verbis nihil ſequi contra Catholicam fidem, *nihil ſequi pro* Lutheri *doctrinâ, ſed eis poſſe ſubeſſe ſanum & Catholicum ſenſum. Cæterùm, id magis patebit, cùm oſtendemus ſub ſingulis dictis verbis,* Lutherum *ac ſuos invexiſſe novum & hæreticum ſenſum, novam & hæreticam doctrinam, ita ut in eis verum ſit, quod dici ſolet,* Sub omni lapide dormit Scorpio.

6. *Quid proteſtantes intelligunt per* Homines.

In prædictis itaq; verbis, Homines ſolâ fide juſtificentur, *ſub voce,* HOMINES, proteſtantes *intelligunt ſolos Electos. His enim ſolis competere volunt fidem juſtificantem ac juſtificationem, ut allatis multis eorum dictis oſtendit* Smithæus *in ſuâ* Collatione Catholicæ & proteſtanticæ Doctrinæ lib. 1. cap. 16. art. 14. & cap. 12. art. 21. *nec opinor id negabit* Miniſter. *Hæc autem, doctrina nova & hæretica eſt, & contra manifeſtas ſcripturas ibidem à* Smithæo *allegatas. Similiter ſub voce,* FIDE, *non intelligunt* proteſtantes *ſeu* Lutherus Catholicam *ſeu dogmaticam fidem, ſed fidem quandam ſpecialem & peculiarem cuiq; electo fideli, per quam is ſolus credit (non condicionatè ſed abſolutè) ſe eſſe juſtum; quod de ipſo nullus alius credit, ut oſtenditur in dictâ* Col-

Quid per Fidem.

lat.cap.12.art.2.& 3. *nec opinor id negabit* Minister. *Imò verò sub voce* FIDE, *in hac materiâ, non intelligunt ullam omninò fidem veri nominis, sed* fiduciam, *ut ostenditur in* Collat.cit. cap. 12. art.18. *Fiducia autem, non est fides, sed spes roborata. Nova autem, & hæretica doctrina est, quòd non justificamur* Catholicâ *seu* dogmaticâ *fide, & contra scripturas citatas in* Collat.præfata.cap. 12.art.2.& 3. *sed tantùm* fide *quadam* speciali *& peculiari cuiq; Electo, imò verò nullâ fide sed* Solâ fiduciâ. *Nam etsi* Eunomius *docuerit* nos solâ fide justificari, *tamen per fidem, intellexit* dogmaticam, *quam ipse docebat, non ullam specialem aut peculiarem cuiq; Electo. Est autem hæc* fides specialis, *quâ quisq; Electus credit absolutè se esse justum, neq;* divina fides, *quia non nititur ullo absoluto verbo Dei. Nusquam enim Deus absolutè dixit, quòd* Lutherus *v.g. aut* Calvinus *sit justus; neq; etiam* humana, *quia nullus homo fide dignus id absolutè dicit, sed est mera imaginatio* protestantium, *quâ similiter quisq; eorum potest imaginari seu credere absolutè, se esse Regem. Imò est expressè contra multas scripturas docentes* homines justificari ex operibus & non sine pœnitentiâ. *Simili modo non est spes seu fiducia,*

dicia, sed est mera præsumptio, quâ quis citra verbum Dei, imò contra expressum verbum Dei præsumit se esse justum sine bonis operibus, imò cum malis operibus, ut protestantes *faciunt, prout mox dicam. Mitto, quòd nonnunquam nomine fidei in hac materiâ, intelligunt aut* Misericordiam Dei, *ut* P. Martyr in Rom. 10. *aut* Christum, *ut* Sadeel in Responsione ad art. 44. adjurat. *& alij, prout videre est in* Collat. prædictâ. lib. 1. cap. 12. art. 16. & lib. 2. cap. 19. *Qui quidem sensus, licèt non sit hæreticus, est tamen novum nomine fidei intelligere* Christum *aut* Misericordiam Dei, *cùm dicimur justificari fide.*

7. *Quid per* Solâ. *Vid. Coccium. de justific. art. 3.*

Præterea, per particulam (SOLA) *intelligunt* fidem solitariè existentem, *non solùm sine bonis operibus, sed etiam cum malis operibus, qualis erat fides in* Davide *Adultero & homicidâ, ut ostenditur in* Collat. cit. cap. 13. a. 17. & c. 13. a. 12. c. 15. a. 5. 6. 8. *Nec negare possunt* protestantes, *cùm asserunt se esse justos, & tamen non negant se quotidiè mortaliter & graviter peccare. Hæretica autem doctrina est, dicere, quòd* justificamur fide solitariè existente sine bonis operibus, *aut etiam existente cum valdè malis operibus, & contra manifestas scrip-*

Quid per (justificantur)

turas in Collat. cit. *locis dictis allegatas. Demùm, per vocabulum* (IVSTIFICANTVR) *neq; intelligunt* fieri justos, *quod scriptura revera tribuit fidei, neq;* declarari justos, *quod* protestantes *tribuunt bonis operibus, neq; etiam* pronunciari *seu* reputari justos, *quod* protestantes *dicunt fieri à Deo: sed tantùm per* (IVSTIFICANTVR) *intelligunt quòd solùm* apprehendunt, *seu solùm* * *infallibiliter* suam justificationem, *hoc est, ut ipsi exponunt, non culpæ abolitionem ex animabus suis, sed tantùm pœnæ remissionem, ut ostensum est in* Præfat. Collat. lib. 1. cap. 12. art. 16. & c. 16. a. 5. 10. *His addunt quòd* fides non est necessaria ad justificationem, *uti ostensum est* ibidem cap. 12. art. 15. *At nova, haretica & ante* Lutheri *tempora inaudita in Ecclesiâ Dei doctrina est, aut quòd* fides non sit necessaria ad justificationem, *aut quòd non verè causet nostram justificationem, sed tantùm certos nos de ea reddat, aut quòd justificatio nostra sit tantùm remissio pœnæ. Verba autem,* protestantium *his de rebus in præsenti non refero, tùm brevitatis gratiâ, tùm quia habentur in dictâ* Collat. locis cit. *qui liber est satis obvius cuiq;, & huic* Ministro *non ignotus. Ipse ea consulat, atq;*

* *Deest verbum, sc.* credunt, *vel* percipiunt, *vel simile.*

ani

aut ostendat ea non esse Lutheri *ac* protestantium *verba, aut fateatur hanc esse* protestantium *doctrinam, atq; ostendat unum aliquem eam tenuisse ante* Lutheri *tempora. Proferat, inquam, unum aliquem, nomen hominis edicat, & (ut solemus loqui)* nominet infantem, *dicat quo in tempore, quo loco, quibus in terris vixerit, & erit mihi* Magnus Apollo, *qui docuerit* Homines, *id est, solos Electos:* justificari, *id est, non fieri justos, sed tantùm infallibiliter & absolutè apprehendere se esse justos, id est liberos, non a culpâ, sed tantùm a pœnâ:* Fide, *id est, non Catholicâ fide, sed quadam speciali fide, imò nullâ verâ fide, sed tantum fiduciâ:* Solâ, *id est solitariè existente sine bonis operibus, aut etiam cum valdè malis operibus. v. g. cum Adulterio & homicidio, ut in* Davide. *Aut igitur,* Anathema *dicat huic doctrinæ, aut certè* Luthero, *ac præcipuis Doctoribus* Protestantium, *qui eam expressis verbis docuerunt, ut patet ex* Collat. locis citat. *Et aut fateatur summam suam ignorantiam, si ignoraverit eam traditam fuisse à* Luthero & Protestantibus *(quod vel ex* Collat. *præfatâ potuit intelligere) aut fateatur suam summam impudentiam, si negare velit eam primùm omnium à* Luthero & Protestanti-

Quid præstandum Ministro.

bus *in Ecclesiam invectam: aut si adhuc negare velit, nominet unum, ac idoneo testimonio probet, eum ante* Lutheri *tempora hanc doctrinam docuisse: Nec sufficere putet quòd ostendat aliquos ante* Lutherum *docuisse* Homines solâ fide justificari, *quia (ut jam diximus) non de his verbis, sed de doctrinâ* Lutheri *sub his verbis agitur, neq; ex his verbis* Lutheri *doctrina necessariò colligitur; aut non miretur* Catholicos, *ac imprimis* Smithæi *impudentiam, sed suam summam vel ignorantiam vel impudentiam. Demùm noret Lector, quòd* Catholici *ac* Smithæus *hac in re sustinent partem negativam, scilicèt, non fuisse aliquem, qui ante* Lutherum *docuerit praedictam doctrinam.* Minister *autem, sustinet partem affirmativam. Affirmantis autem, munus est probare, non negantis.*

Affirmantis est probare.

FINIS.

Gratias Deo.

Lutheri ac *Protestantium*, DE IVSTIFICATIONE Ex solâ Fide Doctrinæ, *Patrum* Sententiæ consentaneæ Assertio.

Adeóq; ejusdem ab *Hæreticâ Novitate* Vindicatio.

ADVERSUS

Smithæi ac *Pontificiorum*, præsertim cujusdam ANONYMI recentes Calumnias.

QUàm ἀπροσδιόνυσον, aut nihil ferè ad epistolam illam meam, De *Solius fidei* justificatione, sit totum *Anonymi Pontificij* Scriptum, Candidus (utì spero) Lector, cùm singula pensaverit, facilè perspiciet. Neq; enim, multa ad rem ab ipso expectare licet, qui in ipso suscepti pensi titulo, operisq; sui vestibulo adeò turpiter impingit, cum In §. 1.

cùm proponit ostendere. *Quòd nec Catholici nec Smithæus impudenter aut falsò dixerint*, &c. Etenim, quàm dissonum est hoc à verbis illis meis; quàm dissentaneum à sententiâ illâ meâ, quam ipse tam acriter impugnandam suscepit? Nusquam enim scripsi, quòd *Catholici id impudenter aut falsò dixerint*, sed summam *Pontificiorum* eâ in re impudentiam vel imprudentiam notavi; qui si *Catholici* & dici & haberi volunt, id falsò & impudenter omninò faciunt. Nusquam etiam tale quicquam de *Smitheo* Categoricè enunciavi, sed summam ipsius similiter vel impudentiam, vel imprudentiam in *Prudentiæ suæ Bilance* disjunctivè * perstrinxi. Nolui enim hominem rotundè & simpliciter arguere impudentiæ, sed imprudentiæ potiùs, quæ ignorantiam quandam ad culpam minuendam implicat. Nusquam deniq; de *Luthero* vel affirmavi vel negavi quòd ipse sub his verbis, *Homines sola fide justificantur*, hoc vel illud docuit vel non docuit. Sed ad rem. *Animus mihi*, inquis, *non est refutare, quæ Minister hic affert contra Catholicam fidem.*] Non animus certè, ut videtur, sed facultas tibi defuit ea refutandi, quæ ego quidem attuli contra fidem non *Catholicam*, sed

* *Vid. prim. opusc. pag.* 28.

In §. 2.

ſed *Papiſticam*. Eſto verò quòd refutare nolueris. Quid ita? Nimirùm *duo* ſunt in causâ. *Primum, quia nil novi affero, cui* (inquis) *non ſit centiès à Catholicis reſponſum.* At quàm malè hoc ipſum fingis, vel ex eo liquet, quòd mox fateris *me quibuſdam dictis patrum à noſtris hominibus collectis pauca quædam addidiſſe.* Certè, ſi *quædam* ſaltem *addidi*, tum *nonnihil novi adfero*, cui nondùm vel *ſemel* nedùm *centiès* ſit à *Pſeudocatholicis* reſponſum. *Secundum, quia ego ipſe non ſum conatus Reſponſiones veſtras refellere.* Quàm alienum verò, hoc ab inſtituto meo fuiſſet, ipſe non ignores, cùm ſatis apertè ſignificaverim, me tantùm in amici mei gratiam concordes veterum de juſtificatione fidei ſententias in * *breviſſimam Synopſin* redegiſſe, nec tale quicquam aggredi voluiſſe, ne amico meo * *tedium* parerem, aut præter leges epiſtolæ epiſtolam extenderem. Vbi tamen Reſponſiones veſtras haud intactas reliqui. Siquidem varias quibus utimini diſtinctiones, in medium adduxi, & præcipuam iſtam de *Operibus ex naturâ & gratiâ*, ſeu *legis & fidei*, cui tu vel imprimis inniteris, abundè refutavi. Contra quæ, nihil (ut videtur) habueris quod opponeres: tantùm de

* *Vid. prim. opuſc. pag. 2. & 22.*

fide

fide meâ in citandis verbis Apostoli ad Rom. 3. 28. & *Phil.* 3. 9. satis multa, sed quàm falsa & frivola quæstus fueris, suo posteà loco constabit. Hoc quidem solenne est apud vos, id alijs vitio vertere, quod vobis ritè convenire nemo non intelligat. Sed,

Juvenal. Satyr. 2. *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?*

Habeo verò gratias, quòd quibusdam *Patrum* dictis à nostris hominibus collectis, agnoscis *me pauca quædam addidisse.* Neq; tamen laudem aliquam vel famam (ut tu insinuas) indè captabam, sed privato amici mei nimiùm in hac parte vacillantis desiderio plenè satisfacere studebam. Deus enim mihi testis, quòd ne somniavi quidem *Scriptum illud meum* (ut te amicus ille tuus certiorem fecit) *per multorum manus unquam sparsum iri*: ex quo, num *miram meam vel ignorantiam vel impudentiam*, ut in te suscipis, *ostenderis*, penes Lectorem judicium esto.

Non igitur, me latet, quòd cum *Patres*, & post hos *Lutherus* & *Protestantes* asserunt, In §. 3. HOMINES SOLA FIDE IUSTIFICARI; non de verbis, sed de sensu & doctrinâ *Patrum* & *Protestantium*

um tota quæstio est. Neq; enim, adeò stupidi sumus, quin inter putamen & nucleum, inter umbram & substantiam, inter sonum & sensum, latum esse discrimen, sine te doctore, facilè intelligimus. Quia, *non in verbis scripturarum est Evangelium, sed in sensu.* ut rectè *Hieronymus ad Pammach.* Quapropter, ut de inani illâ τυφολογίᾳ tuâ nil dicam, sed rem paucis perstringam, quam tu multis enarrare frustrà satagis, hic est verissimus inter nos Controversiæ status, scilicèt, *An Patres, cùm* HOMINEM SOLA FIDE IUSTIFICARI *docent, Omnia prorsùs Opera* (etiam ea quæ sunt *Fidei* & per gratiam Dei fiunt) *à justificatione excludunt?* *Hieron. ad Pammach.* *Status controversiæ.*

Hoc autem, est illud, quod in præsenti affirmare non dubitamus. At si *patres* ita planè sunt intelligendi (ut mox videbimus) tum luce clarius est, quod non *Lutherus*, sed *Concilium* potiùs * *Tridentinum* novam quandam & hæreticam doctrinam hac ex parte in Ecclesiam invexerit, " dum *coope-* " *rationem* (ut dicis) *ex parte nostrâ præ-* " *terquam fidei, ad justificationem requirit,* " *& opera simul cum fide in hoc opere neces-* " *sario concurrere decernit.* Hoc enim, est contra aperta *patrum* testimonia à me citata, In §. 4. * *Vid. Concil. Trid. Sess. 6. Can. 9.*

tata, quibus nihil ferè respondes, tantùm dicis, " *quòd si ego tale quicquam ex patrum* " *dictis infero, id dictum patrum non est,* " *illa illatio patrum non est, imò directè con-* " *tra dicta & sententiam patrum, ut ipsi* " *protestantes confitentur apud Smithaum.* " *lib.* 1. *De Authore Protest. cap.* 3. §. 7. Cæterùm, absurdè quidem *Patres* hoc in loco, directè contradictoria scripsisse innuis, tibique ipsi contradicis, dum *Patres* modò ita locutos, nempe, " *Homines solâ fide justificantur*, affirmas, mox tamen negas, dicens, " *id dictum patrum non est, imo contra dicta patrum.* Nec minus ineptè *Protestantium* Confessionem hac in re apud *Smithaum* (quæ Sectione 6ª occurrit, non 7ª à te citatâ) producis, quod ex duobus istis primarijs viris, *Mart. Luthero* & *Philip. Melanthone* ab ipso citatis, perspicuum est. *Lutherus* enim, *in cap.* 3. *ad Gal. fol.* 358. Non de gratuitâ solius fidei justificatione, sed de exactiori legis & euangelij discrimine ignoto veteribus, apertè loquitur. *Melanthon* etiam *Tom.* 1. *in Dominic. Trinitat. pag.* 89. ut ab eodem quoque *Smithæo* citatur, nullam ejusmodi sententiam habet, viz. *Mirum est præcipuos Doctores ignorasse veram doctrinam*

Vid. Smith. De Auth. protest. lib. 1. §. 6.

Melanth. parte 3ª Dominic. Trin. pag. 92.

de

de justitiâ fidei; Habet tamen, *Operum parte* 3ª. *Dominic. Trinit. pag.* 92. At sententiam istam non de *Christiana* Ecclesiæ *patribus* (quos omninò, utì res postulat, intelligi cupit ipse *Smithæus*) ullo modo pronunciat; sed de præcipuis *Judæorum Doctoribus* Christi tempore, qualis erat *Nicodemus. Joh.* 3º. quem Christus severè, ut ibi notat *Melanchthon*, objurgat; *Tùne es Magister in Israel & hæc ignoras?* Ex hoc uno, facile est de singulari hominis fraude & perfidiâ conjecturam facere in alijs pariter è nostris citandis; quorum sententias sigillatim discutere, non est Operæprecium. Hoc est ferè totum, quod isti *protestantes* sibi volunt, nempè *Patres* alicubi in concionibus & declamationibus securiùs & incommodiùs, præsertim ante *Pelagiana* certamina, locutos esse, nimiùm Operibus tribuendo. Non negant tamen, eosdem, cùm S. textum (ubi verus habetur hujus Articuli fons & origo) commentarijs suis illustrant, de justificatione fidei nobiscum sentire. Imò quidem ipse *Melanchthon* in *lib. De Ecclesia, à Smithæo* citato, cùm de *Chrysostomo* ejusque temporibus verba facit, *Quanquam tunc* (inquit) *in Ecclesia Caligo fuit, tamen appa-*

Idem Melanct. parte 2. lib. De Eccles. pag. 135.

ret

ret retinuisse plerosq́, hanc communem sententiam, quòd fide propter Christum, non propter opera donetur remissio peccatorum. Ideò, etsi interdum minùs commodè loquuntur veteres, tamen in alijs locis, quid reipsâ voluerint, animadverti potest; Sic ille. Sed alienum est *Protestantium* verba à *Smithæo* citata pensare; id potiùs agendum, ut *Patrum* Dicta à me prolata perpendamus, & genuinum eorum sensum enucleemus. Non negas igitur, ne summæ impudentiæ reus arguare, quin ista sententia (*Homines solâ fide justificantur*) apud *Patres* sæpiùs occurrit. *At si Minister* (inquis) *hoc ex illis verbis inferat, scilicèt, Patres nullam cooperationem ex parte nostrâ requisisse præterquam fidei, id dictum patrum non est, nec illatio, sed est dictum & illatio Ministri, eaq́ falsissima.* Hoc statim ostendere magnificè polliceris, sed parùm aut nihil omninò præstas, tantùm ostendis, *Quis sanus* (seu rectiùs insanus) *sensus eis verbis subesse potest*, non quis reverà subest, ut statim videbimus.

In §. 5. Quò meliùs autem, hoc ipsum astrueres, illa trita Dialecticorum axiomata, quasi fundamenti loco ponis; *Subordinata non pugnant*: Item, *Soli causæ primæ in Subordinatis*

natis tribui poteſt effectus : ac indè demum concludis, quòd *cùm fides ſit prima cauſa ex parte noſtrâ juſtificationis noſtræ, et opera fidei ei ſubordinentur, rectè dicere poſſumus, Nos ſolâ fide juſtificari, abſq; eo quòd negemus dicta opera etiam ad juſtificationem concurrere.* Hic certè eſt totius demonſtrationis tuæ ſcopus, hæc ſumma. Verum enimverò, ut principia iſta tibi maximè demus, id nunquam (licèt à te aſſumitur pro conceſſo) probare valeas, aut quòd fides ſit *prima cauſa* (propriè loquendo) *juſtificationis ex parte noſtrâ* ; aut quòd *opera fidei* eidem in hoc negotio verè *ſubordinentur.* Undè liquidò conſtat, totam iſtam argumentationem tuam eſſe valdè vitioſam, nec ejuſdem inter ſe partes meliùs cohærere, quàm ſi velis ἐξ ἄμμε σχοινία πλέκειν. quod de *Gnoſticorum* argumentis olim ſcitè protulit (1) *Irenæus.* Illud autem, facilè animadvertere poteras, nos ſcilicèt nunquam admiſſuros, fidem eſſe *Cauſam primam* (quæ ſecundam aliquam implicat) *juſtificationis ex parte noſtrâ,* cùm nullam aliam in hoc genere reperiri ſummoperè contendimus. Nec minùs ægrè à nobis concedetur, *ſi idem & opera fidei* in iſto juſtificationis negotio *ſubordinari,*

(1) Irenæ. *Adverſ. Hæreſ. lib. 1. cap. 1.*

nari, cùm *subordinata* (ut rectè dixeris) *non pugnant*. Beatus verò Apostolus *Paulus* de justificatione *Abrahæ* ex fide & non ex operibus verba faciens ad *Rom.* 4. *Pugnam* satis apertam *inter fidem & opera fidei* ipsius *Abrahæ* constituit. Quod & olim Sanctus observavit (2) *Chrysostomus*, dum Apostolum eo loco explicans inquit, Ποιεῖ τὴν μαχὴν τῇ πίστει πρὸς τὰ ἔργα. Nec est quòd *fidem* & *opera* non fidei, sed *naturæ* ante fidem, ibi inter se committi suggeras. Annon enim, de *Abrahâ* jam credente, imò firmo in fide sermocinatur Apostolus? Annon Patriarcham istum fide & bonis operibus (etiam ante legem *Mosi* datam, aut circumcisionem ipsi mandatam) præcellentem, in isto argumento proponit; & ne hunc quidem ex operibus, sed ex fide justificatum pronunciat? quod utiq; solius fidei justitiam, seclusis operibus quibuscunq;, necnon fidei vim vel maximè declarat, ut ibidem quoq; doctissimus ille pater annotavit; cujus de *Abrahæ* justificatione per fidem sine operibus licèt egregijs, hæc sunt verba admirationis plena. Τὸ μὲν γὰρ ἔργα μὴ ἔχοντα ἐκ πίστεως δικαιωθῆναι τινὰ ὄδεν ἀπεικός· τὸ δὲ κομῶντα ἐν κατορθώμασι (τὸν Ἀβραὰμ)

Vid. Rom. 4. v. 5.

(2) *Chrysost. in Rom. 4.*

ἀμ) μὴ ἐντεῦθεν, ἀλλ' ἀπὸ πίστεως γενέσθαι δίκαιον, τοῦτο ἦν θαυμαστὸν, καὶ μάλιστα τῆς πίστεως τὴν ἰσχὺν ἐμφαῖνον. Unde D.(3) *Augustinus* etiam clarè docet, quòd in *Abrahæ* operibus, præsertim in filij sui immolatione, fides adfuit. *Magnum*, inquit, *Opus, sed ex Fide, &c. Etenim opera ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt.* &c. Sicut & ipse fatetur * *Stapletonus in Antidotis*, Imò (4) *Rabanus* ille *Maurus* à me anteà citatus, de *Abrahæ* operibus, maximè de illâ incomparabili fidei opere in unici filij sui oblatione verba faciens, *Abraham*, inquit, *per opera qua fecit, non fuit justus, sed sola fide. Oblatio autem ejus fuit testimonium fidei.* Nec Antiquitatis studiosis erit ingratum, si addatur (5) *Clemens* ille *Romanus*, patrum antiquissimus, de quo D. *Paulus* ad *Phil.* 4.3. Qui quidem *Fidei justificationem* ita docet, ut *Fidelium opera* quoque *Sanctissima* luculenter excludit; Καὶ ἡμεῖς οὖν, διὰ θελήματος αὐτοῦ (θεοῦ) ἐν χριστῷ Ἰησοῦ κληθέντες, οὐ δι' ἑαυτῶν δικαιούμεθα, οὐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας, ἢ συνέσεως, ἢ εὐσεβείας, ἢ ἔργων, ὧν κατειργασάμεθα ἐν ὁσιότητι καρδίας· ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως, δι' ἧς πάντας

(3) *Augustin. in præfat. in Psal.* 31.

* *Vid. Stapl. Antid. in Epist. ad Rom. cap.* 4. *in principio.*

(4) *Raban. in Gloss. Jac.* 2.21.

(5) Clem. Rom. edit. per Patric. Junium ex Biblioth. Regiâ. An. 1633. In Epist. 1. pag. 41.

πάντας οὖν ἀπ' αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ θεὸς ἐδικαίωσεν· ᾧ ἔσω δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Αμὼ'. Nil igitur clarius, quàm B. *Paulum* & *veteres*, magnam quandam *pugnam inter fidem et fidei opera* quamvis egregia, quoad juſtificationem hominis coram Deo, conſtituere; tantum abeſt, ut ea inter ſe (undè tota pendet argumenti tui vis) ullo modo hac in re ſubordinentur. Cæterùm, licèt vera eſſent iſta omnia à te prolata de *Fidei* & *Operum ſubordinatione*; (quæ à vero alieniſſima eſſe ſatis ſuperque demonſtravimus) tamen, ut alia craſſa quidem σφάλματα præteream, inepta prorſùs eſt illa quam affers, à *Dei miſericordiâ* & *Chriſti paſſione* ducta ſimilitudo. Nam iſta quidem inter ſe quodammodò ſubordinari concedimus, rectéq; dici, *nos ſolâ Dei gratiâ vel miſericordiâ*, ſcilicèt in genere cauſæ efficientis intrinſecè moventis; necnon *ſolâ Chriſti paſſione*, nempè in genere cauſæ meritoriæ extrinſecè impellentis, *juſtificari*; non negantes interim, quin fide pariter, eâque ſolâ, nimirùm ratione medij & inſtrumenti, juſtificemur. Neque enim, datur authoritas ſatis idonea, quæ dum primum affirmat, hoc eſt, *ſolâ Dei miſericordiâ juſtificamur*; ſecundum quoque negat, aut tertium,

tertium, nempe, *nos Christi passione, nostrâve fide non justificari.* At Sancti *Patres* unà cum sacris *Scripturis*, ita hominem *Solâ Fide* justificari asserunt, ut opera simul quæcunque passim & aperte negant, sicut ex sententijs ipsorum à me anteà productis abundè liquet. Nolunt igitur, opera in hominis justificatione ullo modo concurrere. Nam si hominem ita pariter solâ Dei misericordiâ justificari docerent, ut Christi passionem, hominisve fidem simul excluderent, sicut opera omnia, in eodem justificationis negotio palam & expresse rejiciunt, haud quisquam (ut opinor) ibit inficias, quin ex mente eorundem, solâ Dei misericordiâ absque Christi passione, nostrâve fide justificemur. Nusquam autem, ejusmodi apud ipsos reperiuntur exclusivæ particulæ, aut negationis notæ respectu vel passionis ipsius Christi, vel nostræ fidei in hoc ipso justificationis articulo. Ac proinde nil lucidius, quàm quòd collatio illa tua perperàm instituitur; quòdque ex hoc *nudo Dicto Patrum* [SOLÂ FIDE IUSTIFICAMUR] nihil (uti satis impudenter asseris) contra *Pseudo-catholicos* affero, sed ex Dicto unà cum ipsorum Paraphrasi eidem annexâ; quæ opera quæcunque

Vid. Patrum Testimonia in pri. opusc.

Patres omnia prorsus opera à justificatione excludunt.

δαρρήδην excludit, & *Patrum sensum* luculenter explicat, *Orthodoxam* nostrûm de solius fidei justitiâ *doctrinam, venerandæ Antiquitatis* calculo approbatam indico. Hîc tamen dubitas, *an omnia Dicta Patrum à me citata sint verè allegata, quod* scilicèt, *ob defectum librorum* (si vera dicis) *explorare non poteras*. Atqui non dubito, quin tanta tibi fuerit in promptu librorum copia, ut si non omnia, saltem plurima *Patrum Dicta*, modò voluisses, facilè inspicere potuisses: In quibus, si nullam tibi justæ de fide meâ querelæ materiam suppeditaverim, charitas certè jussit, ut de reliquis etiam omnibus meliora sperares. At *dubitare te facit*, inquis, *mea mala fides in citandis verbis Apostoli*. *Rom.*3.28. & *Phil.*3.9. *quæ truncatè me retulisse* causaris, *Omittendo voces* LEGIS & EX LEGE; *quibus nempè vocibus* (si tibi credamus) *solùm neget Apostolus Opera legis non fidei justificare, solùmq; rejicit ex lege non ex fide justitiam*. Quam iniquè vero, hîc de fide meâ questus fueris, mox patebit. Quamvis enim fateor me quidem in citandis verbis Apostoli. *Rom.*3.28. omisisse vocem [*legis*:] hoc tamen, casu nescio quo (Deum ipsum testor) non de industriâ feci; quod me à per-

Iniquè queritur Anonymus De malâ fide Ministri in citandis verbis Apostoli, Rom.3. & Phil.3.

perfidiâ ſatis ſuperque liberabit. Utut ſit, Apoſtolus ipſe in ſequenti *cap. ad Rom.* 4°. de juſtificatione orationis filum extendens, operum aliquotiès meminit abſolutè, nullâ factâ *legis* mentione. Idem ſimiliter apud eundem legere eſt *ad Epheſios* 2°. necnon 2. *ad Timoth.* 1. (6) *Chryſoſtomus* etiam, dum Apoſtolum ad *Rom.* 3. verſuque citato ex profeſſo interpretatur, *legis* vocem penitùs omittit; illudq; docet turbaſſe *Judæos*, nimirùm ὃν μετ' ἔργων μὴ σωθέντας, χαρὶς ἔργων σωθῆναι. h. e. *eos, qui cum operibus ſalvari non poterant, etiam ſine operibus* (nempe fide) *fuiſſe ſalvatos.* (7) *Auguſtinus* itidem (ut alios prætream) de juſtificatione noſtrâ ex fide ſine operibus verba faciens, illam *Legis* dictionem, quam tanti æſtimas, ſæpius omiſit. Imò verò, dum illum ipſum textum B. *Pauli ad Rom.* 3. v. 28. citat; ut videre eſt. *lib.* 83. *quæſt. q* 76. Adeò ut nefas ſit tibi me hac in re *perfidiæ* reum arguere, niſi ſimul & doctiſſimos *Patres D. Auguſtinum* imprimis, necnon Beatiſſimum *Apoſtolum* ejuſdem prorsùs criminis inſimulaveris. Attamen, nihil omninò (quantum ego ratione poſſum aſſequi) veſtrâ refert, an vox *legis* adjiciatur necne! Eſto enim, quòd adjiciamus: num cauſæ

1°. *Defenditur Omiſſio in voce legis. Rom.* 3. 28.

(6) *Chryſoſt. in Rom.* 3. v. 28.

(7) *Auguſtin. lib.* 83. *quæſt. q* 76. *& præfat. in Pſal.* 31.

vestræ quicquam patrocinetur? nequaquam. Imo verò, multùm adversatur. Nam per *opera legis*, alienum est penitus cùm à mente *Pauli*, tùm ab ipsâ ratióne, *opera solis naturæ viribus ante fidem* præstita vobiscum intelligere, quasi ea tantùm vel similia excluderet *Apostolus*; cùm nemini sit dubium opera omnia ejusmodi, utputà malæ arboris fructus, esse mala: sicut etiam *quicquid non est ex fide peccatum est. ad Rom.* 14. *ver. ult.* Undè & præclarissima Optimorum Infidelium facinora, *splendida* esse *peccata*, ex *Augustini* sententiâ satis notum. Sed frustrà omninò sudasset *Apostolus*, tanto probare conatu, *Hominem solâ fide, absq; malis operibus*, h.e. peccatis *justificari*. Quis enim, nisi mentis inops, talia opera in justificatione hominis coram Deo vim habere, vel per somnium cogitaret? Clarum est igitur, quod per *legis opera*, non ulla nostra *naturæ*, sive ante *fidem opera*, h.e. mala ab Apostolo innuuntur, sed Bona quævis, etiam optima, nempè divinitus in lege seu morali seu ceremoniali præcepta, humanísque inventis & traditionibus opposita, à justificatione penitùs excluduntur. adeóque nec *opera fidei* sive *gratiæ post fidem*, quæ reverà sunt & *legis*

Vox Legis rectè intellecta causæ Pontificiæ multùm adversatur.

Quid per opera legis intelligit Apostolus, Rom. 3. v. 28

gis opera (quandoquidem ex *divina legis* præscripto vel tabulis scriptæ vel cordibus inscriptæ præstari debent) ullum in justificatione hominis coram Deo locum obtinent. Hæc enim, ab homine jamjam justificato fiunt, cùm *Bona opera sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum.* Ut appositè docet (8) *Augustinus.* Imò quidem eximia quævis opera nostra à perfectâ longè absunt justitiâ, utpotè variis aspersa maculis, legiq; in multis adversantia. Undè rectè (9) *Chrysostomus*, μὴ ἐξ ἔργων, ὅταν καὶ κηλίδα ἀναγκὴ ἔχῃ μὴ ἐυρεθῆναι· ἀλλ' ἀπὸ χάριτος δικαιωθῶμεν, ἔνθεν πᾶσα ἁμαρτία ἠφάνισται· Ubi *nulla* certè *opera sine labe* aliquâ, quâ justificandi vim omnem prorsùs amittunt, inveniri vel clarissimè insinuat, atq; indè non ex operibus, sed ex gratiâ justificamur. Cui consonat illud D. (1) *Bernardi*; *Nostra, si qua est, humilis justitia, recta forsitan, sed non pura. nisi forte meliores nos esse credimus quàm patres nostros, qui non minùs veraciter, quàm humiliter aiebant, Omnes justitiæ nostræ tanquàm pannus menstruatæ mulieris. quomodò enim, pura justitia, ubi adhùc non potest culpa deesse? recta proindè interim*

(8) *August. de Fide & Operibus, cap. 14.*

(9) *Chrysost. in 2. Cor. cap. 5. v. ult.*

(1) *Bernard. De verbis Esay. Serm. 5. pag. 312.*

videri poteſt juſtitia hominum, ſi tamen peccato non conſentiant, ut non regnet in eorum mortali corpore. Hæc ille. Cùm igitur, in operibus & juſtitijs noſtris quibuſcunq; non deſit culpa ſeu peccatum, hoc eſt ἀνομία, legiſve tranſgreſſio; certè, vel *Legis opera*, ſcilicèt in lege divinitùs præcepta & ad legem quàm proximè accedentia, quia tamen à legis ſcopo multùm aberrant, tùm à perfectâ juſtitiâ tùm à verâ juſtificatione nimium abſunt. Adeò ut candido Lectori cenſendum permitto, annon vocem *Legis* omittendo, noſtræ cauſæ reſpectu me *prævaricatorem* potiùs, quàm veſtræ intuitu *perfidum* arguere debuiſſes. Nec minùs quidem imperitè (ne graviùs in præſenti dicam) perfidiam meam ſatis acriter perſtringis, in citandis ejuſdem Apoſtoli verbis, *Phil.* 3. 9. *Quæ truncatè me retuliſſe* pariter affirmas, *omittendo voces illas* [*quæ eſt ex Lege.*] Quanta enim, & quàm aperta ſit hæc calumnia, cuivis vel mediocriter in literis verſato palàm conſtabit. Nam ea quidem verba Apoſtoli, quæ præſenti negotio commodè inſervire videbantur, fideliter retuli; cætera verò (tàm alia plura, quàm ea quæ tu deſideras) brevitatis gratiâ, præſertim in Epiſtolâ, cum vulgari

2°. *Defenditur omiſſio in vocibus, quæ eſt ex Lege. Phil.* 3. 9.

vulgari τῶν παραλειπομένων notâ [&c.] Amico Lectori perlegenda & perpendenda reliqui. Quòd si ea quoq; vocabula [*quæ est ex Lege*] adjiciantur, ita ut illam *ex lege justitiam* ab Apostolo rejectam tecum planè agnoscerem, certè non video, quid indè causæ tuæ commodi magis adferas, quàm quod ex legis additione respectu operum paulò suprà attuleris. Sicut enim, per *opera Legis* ea solùm vel præcipuè intelligere, quæ proprijs *naturæ* viribus ante fidem præstantur, hoc est, mala, absurditate non caret, ut modò ostendimus: ita & per *justitiam ex lege* similiter, eam vel imprimis subaudire, quæ ex *naturâ* ante *gratiam* in homine reperitur, ab Apostoli sensu rectâq; ratione plurimùm abhorret, uti mox demonstrabimus. Apostolus igitur, de se suâq; in præsenti ex *lege justitiâ* clarè loquitur, quod etiam verbum illud ἡγοῦμαι, ut ex (2) *Chrysostomo* prius annotatum, satis indicat. quam sanè justitiam haud sine fide gratiâve fuisse dixeris, nisi & S. Apostolum eo tempore, quo sacram epistolam ad *Philippenses* scriberet, fidei gratiæve expertem feceris. At nec cum istâ suâ in præsenti justitiâ, quam in se habuit ex divinæ legis observatione pendentem, coram

Justitia ex Lege *recte intellecta est contra Pontificios.*

(2.) *Chrys. in Phil.* 3. 9.

ram Dei judicio ausus est consistere. *Nihil enim* (inquit) *mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus.* 1. *ad Cor.* 4.4. Undè aliam sibi quærivit *justitiam*, cui tutò inniteretur; nempè illam, quæ est *ex Deo per fidem.* Nam Apostolus, sicut & unusquisq; fidelis ἔγνω μὲν ἑνδεῆ ὄντα ἑαυτὸν δικαιοσύνης ἀληθοῦς· πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς χριστὸν πεδικαιωμένον· Ut ex (3) S. *Basilio* suprà notavimus. Quid autem sit, tùm *ex lege*, tùm *ex fide justitia*, docet nos Apostolus ad *Rom.* 10. Vbi *nullum omninò ponit discrimen inter hominis propriam, seu operum, & eam quæ est ex lege; nec inter Dei & illam quæ est ex fide justitiam:* sicut ab (4) *Origene* fusiùs exponitur. *Moses* enim, *Ostendit nobis justitiam ex lege, qualis sit & unde constet, scilicèt* ἀπὸ τῦ πληρωθῆναι τὰς ἐντολὰς, ut ibi docet (5) *Chrysostomus. Nam qui fecerit ea* (h. e. Dei mandata, *vivet in eis.* Neq; *aliter licuit alicui in lege justificari, nisi omnia impleverit.* τῦτο δὲ ὐδενὶ γεγονε δυνατὸν. si ejusdem ori verè aureo fidem adhibeamus. *Finis igitur Legis Christus ad justitiam omni Credenti, ad* Rom. 10. 4. *Hoc est, perfectionem Legis habet,* (ut (6) *Ambrosius* &

(3) *Basil. Homil. de Humilit.*

(4) *Orig. in Rom. lib. 8. cap.* 10.

(5) *Chrys. in Rom.* 10. *Homil.* 17.

(6) *Ambr. Com. in Rom.* 10.

us & ex eo (7) *Sedulius* interpretatur, *qui credit in Christo: cùm enim nullus justificaretur ex lege, quia nemo implebat legem, nisi qui speraret in promissionem Christi, fides posita est, qua cederet pro perfectione Legis, ut in omnibus prætermissis fides satisfaceret pro totâ lege.* Hæc illi. Imò, *Talis* (ait (8) *Hieronymus*) *est ille, qui Christum credidit, die quâ credidit, qualis ille, qui universam legem implevit. Subditq; Moysen in Levitico distinxisse inter utramq; justitiam, fidei scilicèt, atq; factorum: quod altera operibus, altera solâ fidei credulitate accedente fiat.* Sic ille. Hinc facile est colligere Apostoli *justitiam ex lege* nil aliud esse quàm ipsius ex legis præscripto, obedientiæ præstationem, sive *inhærentem operum justitiam*; quæ, cùm in ipso jam fide & sanctitate conspicuo, esset mutila & imperfecta, (siquidem legem implere ὃ δεῖ γέγονε Δυνατὸν) opus fuit justitiâ ex fide, seu fidei, quæ & Dei vocatur & Christi, à Deo *imputatâ* fidelibus propter Christum; in quem qui verè crederet, *fides ejus cederet pro perfectione Legis*; ita ut in ipso Redemptore *universam legem impleret*, adeóq; nullis operibus, sed *solâ fidei credulitate justificaretur.* Nullus igitur

(7) *Sedul. Collectan. in Rom. 10.*

(8) *Hier. Commentar. in Rom. 10.*

Quid per justitiam ex lege *intelligit Apostolus, Phil. 3. 9.*

igitur, sanus sensus ex *Patrum* sententiâ hisce verbis [*Homines solâ fide justificantur*] subesse potest, nisi opera nostra quæcunq; negentur, & justitia qualiscunq; in homine, quamvis nihil sibi conscio, hoc est, factorum justitia fidei justitiæ opposita rejiciatur, id quod ex plurimis * veterum dictis á me antèa citatis facilè intelligere potuisses. Ut enim, alia (ne sim tædio) præteream, quid vult *Athanasius*, cum ἀρκεῖν νῦν πίστιν τῆς Ἀβραὰμ apertè docuerit? Annon *satis est quod* SUFFICIT? Quid itidem vult *Origenes* & *Anselmus* cum alijs, quorum ille SOLIUS FIDEI JUSTIFICATIONEM, hic SOLAM FIDEM *ad* JUSTITIAM SUFFICERE testatur? An *fidem tantùm justificationis initium, fundamentum & radicem esse* vobiscum intelligunt? nequaquam: nisi & lineæ initium ad lineam, aut templi fundamentum ad templum, aut arboris radicem ad arborem constituendam *sufficere* arbitrentur. Quid vult *Ambrosius*, cùm *manifestè beatos ex Apostolo pronunciat, quibus sine labore vel* OPERE ALIQUO *remittuntur iniquitates et peccata teguntur, nullo ab his requisito* PÆNITENTIÆ *opere, nisi tantùm ut credant?* Annon quodvis

opus

* *Vid. Patrum testimon. citat. in prim. opusc. pag. 2. ad 17.*

opus cujuscunq; demàm sit generis apertè rejicit? Quid vult *Theodoretus*, cùm de justificatione & salute nostrâ gratuitâ verba faciens dicit, *Dominum* SOLAM *à nobis* FIDEM EXIGERE? Annon perspicuè docet nil aliud *exigi* vel *requiri ex parte nostrâ* quod ad *justificationem cooperetur*? Quid deniq; vult *Primasius*, cùm *illi* (inquit) *acceptò fert* (Deus) *justitiam sine operibus, qui per fidem & de præterito absolvitur, & de præsenti justificatur, & ad* FUTURA FIDEI OPERA *præparatur*? Annon *opera fidei* tanquam *futura* à præsenti justificatione palam excludit; adeóque *sequi justificatum, non præcedere justificandum* cum (9) *Augustino* satis apertè pronunciat? Ex quibus omnibus liquidò constat, quàm inane causæ tuæ præsidium ex *operibus fidei justitiâq; ex fide* quæsiveris, necnon quàm futilitèr omninò me arguetis *operam lusisse in patrum dictis undè colligendis*. Reliquum est, ut videamus an feliciter magis ostendas, sub *singulis dictis verbis* [HOMINES SOLA FIDE IUSTIFICANTUR] *Lutherum ac suos invexisse novum & hereticum sensum, novam & hereticam doctrinam*, ut verbosè nimiùm polliceris.

(9) *Aug. de Fide & operibus. cap.* 14.

Ac primùm, *sub voce* [HOMINES] In §. 6. Pro-

Quid per [Homines] *intelligunt Protestantes.*

Protestantes, inquis, *intelligunt solos Electos quod ex multis eorum dictis à Smithaeo allatis in Collat. lib. 1. cap. 16. & 12.* probare niteris. Nec id quidem negaverim, *Protestantes* asserere fidem verè justificantem & justificationem esse propriam Electorum. Sed dum verba prædicta [*Homines solâ fide justificantur*] vel Apostolum Paulum interpretantur, haud ita solent vocem istam (HOMINES) expositione suâ ad solos Electos restringere. * *Lutherus* saltem, de cujus hâc in re doctrinâ præcipua quæstio est, Apostolum ad *Rom. 3. v. 28.* explicans, *Hominem*, inquit, *indefinitè, id est, universaliter accipit* (Apostolus) *ut concludat totum mundum, seu quicquid vocatur homo sub peccato.* Sic ille. Quod equidem nullus dubitaverit, intelligendo *universaliter, de Generibus singulorum tùm Judaeorum, tùm Gentium*; sicut & (1) *Chrysostomus* vocem (ἄνθρωπον,) apud eundem Apostolum loco citato explicat, οὐκ ἔτι τὸν Ἰουδαῖον &c. ἀλλ' ἐξαγαγὼν τὸν λόγον εἰς εὐρυχωρίαν, καὶ τῇ οἰκουμένῃ τὰς θύρας ἀνοίξας τῆς σωτηρίας, φησὶν ἄνθρωπον, τὸ κοινὸν τῆς φύσεως ὄνομα θείς. Idem etiam verum similiter, accipiendo τὸ *universaliter de singulis*

* *Vid. Luth. Tom. 2. Disputat. De homine paulò antè fol. 1.*

(1) *Chrys. in Rom. 3. v. 28*

gulis generum, ita ſcilicèt, ut quotquot demum juſtificantur, ij omnes & ſinguli non aliter niſi per fidem ſine operibus legis juſtificentur. Atque hoc eſt, quod nos dicimus & docemus: non quòd omnes homines ſimpliciter juſtificantur; (neque enim, tu, ut opinor, hoc unquam affirmaveris) ſed ſoli verè fideles & electi: juxta illud Apoſtoli, *Quos prædeſtinavit* (Deus) *hos vocavit*; (illâ ſcilicèt vocatione, quæ eſt ſecundum propoſitum) *quos* (ita ſcil.) *vocavit, hos etiam juſtificavit.* &c. *ad Rom.* 8. v. 30. Sicut & ab (2) *Auguſtino* clarè exponitur. Quamobrem, nec *nova* nec *hæretica* eſt hæc *doctrina*; (ut audacter aſſeris) ſed *antiqua* & *Apoſtolica*: nec ullo modò contra manifeſtas ſcripturas in Collat. prædict. è * *Smitheo* allegatas. Fruſtrà enim, ab eodem Doctore, cap. 16. art. 14. afferuntur iſtæ ſcripturæ, viz. *Ezech.* 18. 24. & *Matt.* 24. 12. quæ non agunt omninò de *juſtificatione*, ſed de *Sanctificatione* ſeu juſtitiâ inhærenti, ſed hypocriticâ. Futiliter etiam cap. 12. art. 21. adducuntur iſta loca, ſcil. Act. 8. 13. & Heb. 6. 4. quorum prius quidem agit de *fide fictâ* vel *hiſtoricâ Simonis Magi*: poſterius verò, de *illuminatione evanidâ* Apoſtatarum: de *juſtificatione*

(2) *Aug. De prædeſtin. Sanct. cap.* 17.

* *Vid. Smith. Collat. cap.* 16. *art.* 14. *& cap.* 12. *art.* 21.

tione neutrum. Scilicèt, istæ sunt manifestæ *Smithei* Scripturæ, quibus egregiè probat, tam reprobos quam Electos justificari; cùm de justificatione nulla sit ibi mentio, ne γεὺ quidem.

Quid per [Fidem.]

Deinde, multa pariter ociosè disseris quod ad vocem [FIDEI] nempè justificantis attinet, de quâ solummodò quæstio instituitur. Quamvis enim, sub istâ voce, *Protestantes* (ut rectè dicis) non intelligunt *Catholicam* seu *dogmaticam* vestram fidem, hoc est, nudam universæ historiæ sacræ notitiam, cum generali quodam assensu; ut cùm tantùm creditur, vera esse omnia à Deo in verbo revelata; sed fidem quandam *specialem* seu *fiduciam* misericordiæ divinæ propter Christi meritum in Evangelio promissæ, per quam propriè justificamur: longè tamen abest hæc doctrina à *Novitate* aut *hæreticâ* pravitate, quam nobis iterùm non minùs impiè, quàm imperitè hac ex parte objicis. Quis enim, non novit *fidem* in S. Paginâ pro *fiduciâ* sæpiùs usurpari. Ut *Psal.*78.22. *Mat.*9.22. *Luc.*5. 20. & *Jac.*1.6. Ubi *Jacobus Apostolus in fide postulare jubet nil hæsitantem.* Unde * *Jacobus Faber Stapulensis* vir apprimè doctus, *Fides*, inquit, *hoc in loco pro fiduciâ*

* *Vid. Jac. Fab. Stapul. in Jac. epist. cap.* 1. *v.* 6.

capi

capi videtur, ut passim in Euangelio, cùm dicitur, Fides tua te salvum aut salvam fecit, &c. Additque *hoc esse signum perfecta fidei, quæ charisma & donum est spiritus, cùm plena adest in Deum fiducia: cùm autem non adest plena, sed hæsitabunda & fluctuans, imperfecta est fides & humana, quam homo, non spiritus operatur.* Hæc ille. Cui, licet *Erasmum, Budeum* alioſq; ſingularis judicij viros ſubjicere. Inſtar omnium verò, ſit *Andreas* ipſe * *Vega*, qui eò tibi charior eſſe debet, quòd *Tridenti* (teſte *P.* * *Canisio* in præfatione) *doctissimos Theologos multis mensibus de justificatione acerrimè differentes audivit.* Cujus hæc ſunt verba. "*Nos non negamus fiduciam istam* (ſcil. donatæ miſericordiæ per Chriſtum) *posse* "*vocari fidem. Nam, ut abundè docuimus,* "FIDES *in Scripturis nonnunquam idem* "*est quod* FIDUCIA, *&* CREDERE "*idem quod* CONFIDERE. *Et Fiducia* "*consequendæ misericordiæ divinæ aptissi-* "*mum est medium ad eam obtinendam.* Sic "*Vega.* Sed ut iſta mittamus, quid vult Apoſtolus, cùm longam de juſtificatione fidei diſputationem concluſurus ait, *justificati igitur fide, pacem habemus apud Deum: ad Rom. cap. 5. v. 1?* Num fidem illam veſtram

* *Vid.* Vegam *de justific. lib. 14. cap. 10. &* * *Canisium in præfat. ejusdem operis.*

stram *dogmaticam* seu nudam historiæ sacræ notitiam, cum generali quodam assensu, vobiscum intelligit? nequaquam. Ista enim notitia, nisi cum *speciali* quadam divinæ misericordiæ *fiduciâ* sit conjuncta, nullam afflictæ conscientiæ *pacem*, nullum misero peccatori *solamen* adfert, sed gravem potius animi consternationem parit & *horrorem*, ut in ipsis *Dæmonibus*. *Jac.* 2. v. 19. Quid item vult idem Apostolus *Paulus*, cum de fide justificante similiter verba faciens, *talem fidem* postulat, *quæ per dilectionem operatur*. ad *Gal.* 5. v. 6. Num *fidem* vestram *historicam*, sive notitiam vel assensum in genere tantùm innuit? nil minus. Nam & hæc unà cum *Christi Confessione*, *dæmonibus* quoque convenit. *Luc.* 4. v. 41. Unde S. (3) *Bernardus* in Sermone suo ad Pastores in Synodo congregatos, *Neminem*, inquit, *vestrûm credo esse hæreticum. Omnes creditis in Deum trinum & unum, quia passus sit & sepultus, quia descendit & ascendit. Facit tamen, hæc fides Catholicum? Hac fide utiq; Dæmones essent Catholici; quia, ut dicit Jacobus, credunt & contremiscunt. Verum utiq; Catholicum facit non fides communis dæmonibus & hominibus, sed ea tantùm quæ communis*

(3) *Bern. in Serm. ad pastores, pag.* 1739.

munis est hominibus & Angelicis spiritibus. quæ est illa? quæ per dilectionem operatur? Hæc ille. Beatus (4) *Augustinus* etiam de eâdem fide justificante differens, *Ipse Paulus*, inquit, *non quamlibet fidem, quâ in Deum creditur, sed eam salubrem planeq; Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt.* Et rursus, *Est & fides* (* ait) *quâ solâ possent* (homines) *à peccatorum obligatione liberari.* Nec desunt nobis alia quoque *veterum Testimonia* ad fidem illam seu *fiduciam* in Christo *specialem* statuminandam. Nam, ut alios præteream. D. (5) *Cyprianus*, dum Christianum mortis timore perculsum erigit, *Ejus est* (inquit) *mortem timere, qui ad Christum nolit ire: ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credat cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim, justum fide vivere. Si justus es, & fide vivis, si* VERE IN DEVM CREDIS, *cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione* SECVRVS, *quòd ad Christum vocaris, amplecteris; & quòd Diabolo careas, gratularis.* Et mox subjungit, *Si* TIBI *vir gravis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utiq; pollicenti fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes, quem stare in Sermonibus atq; in Actibus*

(4) *Aug. de Fide & operibus. cap. 14.*

* *Id. Tract. in Joh. 42.*

(5) *Cyp. Tract. 3. de mortalitate. Sect. 2. & 3.*

suis scires. Nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredulâ perfidus fluctuas? Deus de hoc mundo recedenti TIBI *immortalitatem atq; æternitatem pollicetur, &* TV DVBITAS *? Hoc est Deum omnino non nosse: hoc est Christum credentium Dominum & Magistrum peccato incredulitatis offendere: hoc est in Ecclesia constitutum fidem in domo fidei non habere.* Hæc ille. Cui S. (6) *Bernardus* insuper, verbis, si opus est, clarioribus adstipulatur. *Si credis* (inquit) *peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, in quem peccatum non cadit, benè facis: sed* ADDE *adhuc, ut &* HOC CREDAS, *quia per ipsum* TIBI *peccata donantur. Hoc est testimonium quod perhibet in corde nostro Spiritus S. dicens: Dimissa sunt* TIBI *peccata tua. Sic enim, arbitratur Apostolus gratis justificari hominem per fidem, &c.* Undè *confternato in conscientiâ Luthero, Pius Senex* in *Monasterio Augustiniano* (ut refert * *Melanchthon*) *urgebat illud in Symbolo, Credo remissionem peccatorum. Huncq; articulum sic ille interpretatus est, non solùm in genere credendum esse aliquibus remitti, ut & Dæmones credunt Davidi aut Petro remitti, sed mandatum Dei esse ut* SINGVLI NOBIS *remitti*

(6) Bern. *in Annunciat. Serm.* 1. *p.* 124.

* *Vid.* Melanct. *in præfat. oper.* Lutheri. *Tom.* 2.

remitti peccata credamus. Et hanc interpretationem illo Bernardi Dicto confirmatam dicebat. Sic ille. Quæ quidem interpretatio admodum consona est praxi B. Apostoli *Pauli*, qui *fiduciâ* quadam *speciali*, Christi merita sibi applicans, *Vivo* (inquit) *fide filij Dei, qui dilexit* ME *& tradidit seipsum pro* ME. ad *Gal.* 2. *v.* 20. Vt igitur, nec *nova* nec *hæretica* est hæc de *fide speciali doctrina:* ita nec contra Scripturas in dictâ * Collat. citatas, cap. 12. art. 2. & 3. Istæ enim, ad ultimum docent nos fide credere varia de Deo patre, de Christo filio, & cætera ad salutem requisita: non negant tamen, *proprium fidei justificantis objectum* esse *Euangelicam* illam divinæ misericordiæ *promissionem* de peccatorum remissione propter Christum salvatorem. Neque dubitamus, quin Abrahæ fides generalis fuerit, universo Dei verbo simpliciter assentiens; sed & specialis utique, gratuitæ promissioni de semine nempe Christo fiducialiter acquiescens, juxta illud (7) *Ambrosij, Credidit Abraham Deo.*] *Quid* (inquit) *credidit? Semen se habiturum, hoc est filium, in quo omnes Gentes justificantur.* Christum igitur, Christique justitiam, quicunque verâ fide, h. e. non generali tan-

* *Vid.* Smithæum *Collat. cap.* 12. *art.* & 3.

(7) Ambros. in Rom. 4. 3.

tùm notitiâ vel assensu Dæmonibus communi, sed *speciali* quâdam *fiduciâ* verè fidelibus propriâ apprehendit, sibiq; applicat, is certè coram Deo justificatur, tandemq; salvabitur. Sicut enim idem *Judæi* oculus, alia multa in deserto præter *æneum Serpentem* vidit; sed istum solùm contemplando, ab * *ignei Serpentis* morsu sanabatur *Judæus*: ita nemini sit dubium, quin eadem *Christiani* hominis fides, alia plurima in verbo præter *Christum Salvatorem* respicit; sed in eum tantùm credendo, à peccato velut ab *antiqui Serpentis* h. e. Diaboli veneno salvatur *Christianus*, ut ipse Magister innuit. *Joh.* 3. *v.* 14. & 15. Quod & (8) *Irenæus* olim annotâsse videtur, cùm *non aliter* (inquit) *servantur homines ab antiqui Serpentis plagâ, nisi in Christum credant.* Nec multùm cert è moramur, quid *Eunomius Hæreticus* per fidem justificantem intellexerit, imò facilè concedimus, eundem quidem, non *specialem* nobiscum, sed *dogmaticam* (ut dicis) *fidem* vobiscum intellexisse. Sed quid indè sequitur, nisi vos *Papistas Hæretico Eunomio* similiores esse nobis *Protestantibus*? Illud autem, quod contra *fidem* istam *specialem* argumentum subjungis, admodùm pueri-

* *Num.* 21. 9.

(8) Iren. *adv. Hæres. lib.* 4. *cap.* 5.

puerile est & ridiculum: *Eam* scilicèt, *nec divinam esse, nec humanam, quia nullo absoluto verbo Dei, nec fidi hominis dicto nititur.* Nam quòd fides ista in Dei verbo fundamentum habet, abundè satis in superioribus evicimus. Sed *nusquam*, ais, *Deus absolutè dixit, quòd Lutherus v. g. aut Calvinus sit justus.* Esto. Sic neq; Deus (uti spero concedes) usquam dixit absolutè, quòd *Lutherus* aut *Calvinus* sit peccator. Quid indè concludis? nempè quod *mera est imaginatio Protestantium, Lutherum aut Calvinum esse justum.* Pari quidem ratione mihi quoq; fas sit inferre, quòd *merum est Papistarum figmentum, Lutherum aut Calvinum esse peccatorem.* At sicut hoc verum esse deprehenditur ex * verbo Dei, quod in genere testatur *omnes homines ab Adâ oriundos esse peccatores iręq; filios*: ita & illud ex eodem * verbo satis constat, quod similiter affirmat, *omnes & singulos homines in Christum verò credentes esse justos per imputationem, Deiq; filios per adoptionem.* Si igitur, *Lutherus* & *Calvinus* (attestante in ipsorum cordibus spiritu S.) ritè percipiunt se in eorum esse numero, qui *verè in Christum credunt*, quibusq; sua dimit-

* Vid. Rom. 5.12. Ephes. 2.3. Jac. 3. 2. &c.

* Vid. Act. 13 39. Joh. 1.12. Gal. 3.22. & 26.

tuntur peccata, aut Deum ipsum mendacem faciunt, aut certò confidant, imò *sciant se justificatos & æternæ vitæ participes*, ut apertè colligitur, 1 *Joh. cap.* 5. *v.* 10. & 13. Nec est *fides* ista *specialis expressè* (ut satis impudenter asseris) *contra multas Scripturas*; cùm ne unum quidem textum ad fidem faciendam adfers: tantùm dicis, *multas Scripturas docere homines justificari ex operibus, & non sine Pœnitentiâ.* Sed non licet tibi vel unam proferre scripturam id expressè docentem. Quamvis enim, S. *Jacobus* cap. 2. expressè (quod alibi non habetur) dicit, *Hominem justificari ex operibus*; id tamen, haud docet eo sensu, quo à B. Apostolo *Paulo* & à nobis pariter in præsenti controversiâ, *justificandi verbum* accipitur; nisi Apostolos inter se pugnare feceris. *Paulus* enim, qui justificationis Articulum fusè & ex professo tractat in Epistolis suis ad *Romanos* & *Galatas*, per τὸ *justificari* intelligit *justum declarari, reputari & agnosci coram Deo*; ut liquet ex *Rom. cap.* 3. *v.* 20. & *cap.* 4. *v.* 2. necnon ex *Gal. cap.* 3. *v.* 11. *Jacobus* verò *coram hominibus*; ut ex eo patet, quod *fidem vivam* & justificantem, quæ per dilectionem operatur, *ostendi* vult *ex operibus. Jac. cap.* 2. *v.* 18. Sicut *Abraham* &

S. Paulus & Jacobus non pugnant.

Rahab

Rahab suam quoq; fidem hominibus abundè ex operibus testati sunt: atq; eo tantùm respectu ex operibus justificati sunt, ut apparet in sequentibus. Aliter, quod ad *Abrahamum* attinet, πρὸς τὸν θεὸν δικαιωθῆναι ἐκ τῶν ἔργων αὐτοῦ, παντελῶς ἀπελείπετο· ut ex (9) *Oecumenio* suprà annotavimus. *Potest* enim *fieri coram hominibus* (scil. ut quis ex lege vel operibus justificetur) *non autem coram illo, qui cordis ipsius & intimæ valuntatis inspector est.* ut ex (1) *Bedâ* similiter cum *Augustino* retulimus. Nec est fides seu fiducia ista nostra, quâ solâ coram Deo justificamur, mera (ut apertè calumniaris) præsumptio, cùm eandem Dei verbo niti modo demonstravimus. Neq; enim præsumimus nos esse justos, sed confidimus nos justificari, hoc est, haberi vel reputari justos coram Deo per fidem *sine bonis operibus*, id est, non sine eis fidem nostram *concomitantibus*, sed sine eisdem in justificatione nostrâ *cooperantibus*. Densq; inepta cavillatio est, nos *nomine fidei in hac materiâ intelligere Christum aut Dei misericordiam.* Quis enim è nostris unquam somniavit, *fidei vocem* ita propriè intelligendam, sicut incauto Lectori libenter (ut videtur) imponeres. Sed

(9) Oecum. *in Rom.* 4.2.

(1) Beda *in Rom.* 3.20.

cùm

cùm fide justificari dicimur in Scripturis, nostri asserunt, *vocem fidei* relativè sumendam esse cum respectu ad *objectum fidei*, nempè *Christum* cum ipsius meritis; vel *Dei misericordiam*, sive *Gratiam ex misericordiâ, quæ fide comprehenditur solâ*, sicut docet (2) *Isychius*; quod & anteà ex eodem observavimus. Ita ut hic sit sensus, justificamur fide, scil. apprehendente Dei misericordiam in Christo, propter quem peccata nostra condonat Deus, ipsiusq; merita nobis imputat ad justitiam. Atq; hæc certè expositio adeò solida est, ut eam nullâ unquam ratione idoneâ expugnare valeas.

(2) *Isych. lib. 4. in Levit. cap. 14.*

In §. 7. *Quid per* [SOLA.]

Adhæc, ne malitiosa diligentia, vel minimam voculam intactam relinqueret, *per particulam*, inquis [SOLA] *intelligunt fidem solitariè existentem, non solùm sine bonis, sed etiam cum malis operibus.* At hîc quoq; calumniosè & sophisticè, more tuo, nos insectaris. Nam fidem *mortuam* & *solitariam* cum B. *Iacobo* & S. Patribus (ut ex* *priori scripto* meo perspicias) omninò reprobamus tanquam ociosam & inutilem. Undè * *Lutherus, nos*, inquit, *dicimus fidem sine operibus nihili esse & inanem, id est, fanatica cogitatio, mera vanitas & somnium*

* *Vid. pri. opusc. pag. 20.*

* *Luth. in Gal. cap. 2.*

um cordis, falsa est & non justificat, &c. in * *Galat. cap.* 2. Iustificatio enim, est solius veræ vivæq; fidei munus, nimirùm illius *quæ per dilectionem operatur*, & bonos charitatis fructus profert, ut ex S. * *Paginâ* didicimus. Quæ igitur Deus conjunxit, nemo separare præsumat. Cæterùm, hoc est illud quod in præsenti controversiâ dicimus, nempè *opera bona* à verâ fide manantia, nec ut merita, nec ut causas, nec ullo alio modo *ad justificationis actum* concurrere; sed hac ratione sunt planè *stercus & detrimentum*, ut ex Apostolo colligimus; *ad Phil. 3. v. 8. & 9.* Alioqui reverà *suos* habent *usus*, eosq; perquam *egregios & necessarios*, ut idem monet Apostolus ad *Tit. cap. 3. v. 8. & 14.* Quamobrem, rectè *Lutherus* etiam, *Hic* (inquit) *status causæ est, per quid justificemur & vitam æternam consequamur. Hic respondemus cum Paulo*, SOLA FIDE IN CHRISTUM NOS PRONUNCIARI IUSTOS, *non operibus legis aut charitate. Non quòd opera aut charitatem reiicimus, ut adversarij nos accusant, sed ex statu præsentis causæ non sinamus nos dimoveri, id quod Satan quærit*, &c. *Ibid.* Et rursus, *Non liberi sumus* (ait) *per fidem Christi ab operibus, sed ab opinio-*

* *Vid. Lutb. in Gal. cap. 2. fol.* 314.

* *Vid. Gal. 5. 6.*

Idem Ibid. fol. 310.

* opinionibus operum, id est, à stultâ præsumptione justificationis per opera quæsita, &c. Et rursus, *Extra causam justificationis* (inquit) *nemo potest bona opera à Deo præcepta satis magnificè commendare.* Quis igitur, opera verè bona magis approbat quam ipse *Lutherus?* quis fidem magis improbat ociosam & solitariam? quod ex multis alijs locis ostendere non est difficile. Verum accuratè quidem distinguit, docetq; fidem & opera simul convenire in *eodem subjecto*, nempè *in homine justificato*; sed non simul concurrere ad *eundem Actum*, scilicèt *ad hominem justificandum.* Ita enim, alibi piè & eruditè scribit idem * *Lutherus, Scio has* (nempè dilectionem, spem & alias virtutes) *esse insignia Dei dona divinitùs mandata*, &c. *Scio fidem sine his donis non existere: sed nunc nobis quæstio est, quid cujusq; proprium sit? Tenes manu varia semina. Non autem quæro ego, quæ cum quibus conjuncta sint, sed quæ cujusq; propria virtus? Hîc apertè dic quid faciat sola fides, non cum quibus virtutibus conjuncta sit. Sola autem fides apprehendit promissionem, — credit promittenti Deo*, &c. Sic etiam * *Calvinus* ipse testatur, quod *Fides & opera bona perpetuo*

&

* *Idem in Gal. 3. fol. 11.*

Id. Ibid. fol. 364.

* Luth. *in cap. 15 Gen. fol. 178.*

* *Calv. Inst. lib. 3. cap. 16. §. 1.*

& individuo nexu cohærent, in fide tamen, non in operibus ponenda est justificatio. Cui consonat illud (1) *Chrysostomi* priùs à me observatum, nos scilicèt ad justitiam nil afferre ἐπιθετον, nisi ἓν μόνον, nempè fidem. Vndè charitatem excludit & aliud quodvis infusum à Deo donum, nobisq; inhærens. Atq; hæc est illa *Doctrina*, quam * nos unanimi prorsùs consensu, tanquam S. literis maximè consentaneam libenter amplectimur; dum ab *Eunomij* interim sententiâ plurimùm abhorremus; qui fertur *usq; adeò* (teste (2) *Augustino*) *fuisse bonis operibus inimicus, ut asseveraret, quòd nihil cuiq; obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset.* Sicut autem, negamus fidem verè justificantem unquam solitariè existere *sine bonis operibus* saltem quoad *habitum*: ita non dubitamus asserere fidem istam nonnunquam *cum malis operibus* coëxistere quoad *actum*. Nec tamen, hæreseos ullo modo rei censendi sumus. Etenim, *Septiès* (hoc est multotiès) *cadit justus.* Prov. 24. 16. *Et in multis offendimus omnes.* Iac. 3. 2. Aut igitur fides cum malis operibus, per quæ solum offendimus, rectè potest consistere

(1) *Chrys. in Rom. 1. v. 17.*

* *Vid. Homil. Anglic. lib. 1. Homil. 3. De Salvat. part. 1. in fine.*

(2) *Aug. Tom. 6. De Hæres. Hær. 54.*

Quomodo Fides cum malis operibus coëxistat.

sistere; aut totiès fidei habitum amittimus, quotiès actu offendimus, quod sine summâ absurditate & hæreticâ novitate affirmare non poteris. Nec mirum sanè, si viri verè fideles & pij, sicut ipse *David* & *Petrus* in gravia peccata h. e. opera valdè mala nonnunquam lapsi sunt. Nam in peccato nati, & licèt renati, tamen ex carne & spiritu, quamdiù hîc vivunt, constituti, sicut fusiùs ab Apostolo docemur ad *Rom. septimo*, bellum quoddam intestinum patiuntur, dum * *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Quando igitur, Caro spiritum superat, in varia peccata necesse est, prolabantur. Quemadmodum autem, Spiritu superante carnem, caro non prorsùs extirpatur, sed subjugata manet adhùc in renatis; manet tamen, quia *velis nolis intra fines tuos habitabit Jebusæus*, ut scitè (4) *Bernardus:* (quod etiam Sancti in terris quotidiè experiuntur, dum carnem ad rebellandum subindè paratam sentiunt) ita carne superante Spiritum, Spiritus non statim extinguitur nec fides, ut ex S. literis evincere, non est difficile. Clarum est igitur, spiritum & carnem, fidem & peccatum simul habitare in eodem. Nostra autem,

* *Vid. Gal.* 5.17.

(4) *Bern. in Cant. Sem.* 58. *pag.* 741.

tem, non pudet omninò cum fideli ac *Pœnitenti* isto * *Publicano* peccata nostra humiliter agnoscere, cùm indè potius justificati à Salvatore pronunciamur, quàm vosmetipsi, qui cum superbo & *glorioso Pharizæo*, bona opera vestra magnificè prædicatis. Nec interim animadvertitis, *vos eosdem esse qui justificant se coram hominibus: Deus autem novit corda vestra*, ὅτι τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλὸν, βδέλυγμα ἐνώπιον τοῦ θεοῦ ἐστι. *Luc.* 16.15. Vndè rectè monet ipse Martyrij Sitientissimus olim Martyr (5) *Ignatius*, Δίκαιος ἑαυτὸν καλήγορος· καὶ λέγε σὺ τὰς ἁμαρτίας σε πρῶτος, ἵνα δικαιωθῇς. Nec ista quoq; doctrina de malorum operum cum fide coëxistentiâ, *est* (uti nobis suadere velis) *contra manifestas Scripturas in* * *Collat. citat. allegatas*. In quibus omnibus de *fide* ne verbum quidem legitur. Non negamus tamen dictas Scripturas cum alijs plurimis à † *Coccio* citatis, ad *morum Sanctitatem* hortari, *sine quâ nemo videbit Dominum*: quod & nos constanter * agnoscimus & recognoscimus. Imò verò, cum de *fide* hoc respectu instituitur disputatio, *væ soli* denunciamus. Nam opus est operibus, cum judicium in ultimâ die fiet *secundum opera*; uti

* *Luc.* 18.14

(5) *Ignat. ad Magnesian. epist.* 3.

* *Vid.* Smith. *Collat.* c. 13. *art.* 17. & 12. & c. 15. *art.* 5. 6. 8.

† *Vid. Cocc. Thesaur. Catholi. lib.* 3. *de justific. art.* 3.

* *Vid. Homil. Anglic. lib.* 2. *Homil.* 3. *de Salvat. part.* 3.

Bona opera sunt ad salutem necessaria.

uti nos S. *Pagina* ubiq; docet. Vndè rectè nos monet (6) *Oecumenius*, οὐ μόνον ἡ πίστις ἀρκεῖ, ἀλλὰ καὶ ἔργων χρεία. Et apposita est illa (7.) D. *Augustini* observatio, *Homiues non intelligentes quod ait ipse Apostolus; Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus Legis; putaverunt eum dicere, Sufficere hominis fidem, etiamsi malè vivat, & bona opera non habeat: quod absit ut sentiat vas Electionis.* Necnon eleganter quoq; nos instituit (8) *Cyrillus Hierosoly.* μὴ θαρσήσῃς ὅτι μόνον κατέχεις τὴν λαμπάδα, ἀλλὰ διατήρησον αὐτὴν καιομένην. Non sufficit igitur, si solùm fidei lampadem manu teneamus, nisi eandem quoq; bonorum operum oleo ardentem conservemus. Siquidem *Fides* (affirmante * *Jacobo*) *sine operibus mortua est.* Et *frustrà sibi* (attestante (9) *Bernardo*) *de solâ fide blanditur, qui bonis operibus non ornatur.* Quamobrem, *Clemens* ipse *Romanus*, ὁ ἀξιομακάριστος Κλήμης, ὁ Πέτρου καὶ Παύλου ἀκουστής, ut à S. *Ignatio* appellatur in *Epist.* 1. ad *Mariam*: ille, inquam, *Beatissimus* D. *Petri* & *Pauli Auditor* * suprà à me citatus, postquam *Solius fidei justificationē* asseruerat, dicens, οὐ δι' ἑαυτῶν δικαιούμεθα

οὐδὲ

(6) Oecum. in Rom. 2. 7.

(7) Aug. Tom. 6. De Grat. & lib. Arb. cap. 7.

(8) Cyril. Hieros. Catech. 15. p. 388.

* Jac. 2. 17.

(9) Bern. de modo benè vivendi, Serm. 1.

* Viz. pag. 49.

οὐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας, ἢ συνέσεως, ἢ εὐσεβείας, ἢ ἔργων, ὧν κατειργασάμεθα ἐν ὁσιότητι καρδίας· ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως, &c. Statim *Bona charitatis opera* nobis egregiè commendat, † subjungens, Τὶ οὖν ποιήσωμεν, ἀδελφοὶ, ἀργάσωμεν ἀπὸ τῆς ἀγαθοποιΐας, καὶ ἐγκαταλείπωμεν τὴν ἀγάπην; μεδαμῶς τοῦτο ἐᾶσαι ὁ δεσπότης ἐφ' ἡμῖν γεγενηθῆναι, ἀλλὰ σπεύσωμεν μετὰ ἐκτενείας καὶ προθυμίας, πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐπιτελεῖν. Αὐτὸς γὰρ ὁ δημιοῦργος καὶ δεσπότης τῶν ἁπάντων, ἐπὶ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ ἀγαλλιᾶται. Hinc est quòd reliqui etiam * *Patres* multum tribuunt operibus, tanquam *ad salutem* apprimè *necessarijs*: ad *salutem* inquam, non ad *justificationem* propriè dictam. Namq; latum est inter utramq; discrimen, ut clarè & præclarè docet ipse (1) *Nazianzenus* in *Oratione* 26. ubi δικαιοσύνην. h. e. Salvationem piæ fidei confessioni assignat, sicut anteà retulimus. Vndè & * *Elias Cretensis*, vir eruditione præcellens, *Aliud* (inquit in Annotationibus) *est justificatio, aliud Salvatio. Nam justificatio quidem solùm habet peccatorum remissionem; Salvatio*

† Clem. *Rom. in Ep.* 1. *pag.* 42.

* *V.* Greg. Naz. *Orat.* 40. *in S. Baptis. p.* 672. *Et* Greg. Nyss. *in Eccles. Homil.* 8. *p.* 463.

(1) Naz. *in Orat.* 26.

* *Vid.* Eli. Cretens. *in Annotat. in* Naz. *Orat.* 26.

vatio etiam bonorum fruitionem. Ista autem distinctio fundamento satis firmo, scilicèt Apostoli dicto nititur. ubi *Corde*, ait, *creditur ad justitiam, ore verò, fit confessio ad salutem*, Rom. 10. 10. Hicq; pulchra est illa D. * *Ignatij* Paraphrasis. Καρδίᾳ πιστεύεται, στόματι δὲ ὁμολογεῖται· τῇ μὲν, εἰς δικαιοσύνην, τῷ δὲ, εἰς σωτηρίαν. Bona igitur opera sunt verè ad salutem necessaria. At quomodò necessaria? nempè ratione quidem tùm præcepti, tùm medij: non autem ratione sive principij, sive meriti. Nam, *si propriè* (inquit (2) Bernardus) *appellentur ea quæ dicimus nostra merita, sunt quidem sunt seminaria, charitatis incentiva, occulta prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, viæ regni, non causa regnandi*, &c. Neq; enim scriptum est, Deum unicuiq; *propter opera*, sed *secundum opera* sua redditurum. Quod & (3) *Gregorius* ipse *Magnus* optimè quidem observavit, cùm *aliud est* (ait) *secundum opera reddere, aliud propter ipsa opera reddere. In eo quod secundum opera dicitur, ipsa eorum qualitas intelligitur, ut cujus apparuerint bona opera, ejus sit & retributio gloriosa: illi nempè beata vita in qua Deum Deo & de Deo vivitur, nullus po-*

* *Ad Ephes. Epist. 11.*

(2) Bern. *de Gratiâ, & Lib. Arbit. in fine.*

(3) Greg. Magn. *super 7. Psal. Pœnitent. in Psal. 142. v. 8.*

test

test æquari labor, nulla opera comparari; præsertim cum Apostolus dicat, non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Hæc ille. In cujus certè verba jurare quid vetat; cùm eundem summum olim in terris Pontificem extitisse, facilè agnoscas.

Quid per [justificat.]

Deniq; quod ad vocabulum [IUSTIFICANTUR] attinet, id rectè quidem scribis, *nos per illud vocabulum non intelligere fieri justos*, eo quo à vobis modo exponitur. At falsò penitus subjungis, *neq; declarari, neq; etiam pronunciari seu reputari justos: sed tantùm* (inquis) *intelligunt, quòd solùm apprehendunt suam justificationem*, &c. Nam etsi per justificari, non intelligimus nos ex injustis justos fieri inhærenter, quia justitia ista, quâ coram Dei judicio verè & perfectè justi censendi sumus, non est qualitas aliqua inhærens aut infusa; sed ea quâ *Deus hominem* INDUIT, ut ex (4) *Bedâ* citavimus, cùm justificat impium; adeóque non est internum, sed externum quiddam ut *vestis*: tamen uno ore contendimus τὸ *justificari* esse verbum forense τῷ *condemnari* oppositum, ut ex S. literis abundè didicimus, scil. ex *Prov.* 17. 15. *Esay* 50. 8. & 9. *Matth.* 12. 37.

(4) Beda *in Rom.* 3. 20.

12. 37. *Rom.* 8. 33. & 34. & alibi passim. In quibus omnibus perspicuum est *justificare* idem esse quod *judicio absolvere*, adeòque declarare, pronunciare seu *reputare justum*, non autem infusâ novâ justitiæ qualitate, ex *impio justum facere*. Nec ullum ferè credò te posse proferre scripturæ locum, in quo vocabulum illud aliâ penitùs quam *forensi significatione* necessariò accipitur, nisi illum unum; *justus justificetur adhuc*. Apoc. 22. 11. Vbi tamen (si qua * *Bezæ* & *Stephano* fides) in Græco manuscripto legitur, Δικαιος δικαιοσύνην ποιησάτω: necnon in nonnullis Latinis codicibus, *justus justitiam faciat*. Imò B.(5) *Cyprianus* ita locum exponit, *justus adhuc justificatora faciat*. Vtut sit, verbum [*justificari*] eo loco non accipitur pro hoc quod est *justum fieri*, sed pro eodem quod est crescere vel *proficere in justitiâ*, ut ipse * *Vega* locum interpretatur. Nec a *forensi* illâ *significatione* verbi [*justificare*] ullo modo abhorrent veteres Scriptores, ut ex priori Scriptò meo facilè tibi licuit animadvertere. *Suidas* enim expressè docet, quòd τὸ δικαιὸν est propriè τὸ δίκαιον νομίζειν. h. e. *justum reputare*, non facere. *Oecumenius* item, justificationem nostram

* *Vid.* Bezæ *Annotat. in Apoc.* 22. 11. & Steph. *Ibid.*

(5) Cypr. *De bono patientiæ.*

* *Vid.* Vegam *de justific. lib.* 5. *cap.* 3.

à Deo,

à Deo, docet in eo consistere, quod vocat ἀφέωσιν καὶ ἀπολλαγὴν τῶν ἁμαρτιῶν. h. e. *in Absolutione Rei per acceptilationem & in Remissione peccatorum.* Idem similiter faciunt *Ambrosius, Hieronymus, Primasius, Bernardus, Origenes & Theodoretus,* ut in* locis à me citatis videre est. Quibus jam *Augustinum* hac in re subjungimus & *Cyrillum Alexandrinum cum Prospero Aquitanico : (6) Augustinus* enim, *Aut certè, ita dictum est* (inquit, quasi verò propiùs) IUSTIFICABUNTUR (factores legis) *ac si diceretur* IUSTI HABEBUNTUR, IUSTI DEPUTABUNTUR, *sicut dictum est de quodam* (sc. *Luc.* 10.29.) *ille volens se justificare, id est, ut justus haberetur & deputaretur.* Sic ille. Remq; simili dicendi genere illustrat, nempè *sanctificetur* nomen tuum, *idem est* (ait) *ut quod semper apud se sanctum est, Sanctum etiam ab hominibus habeatur.* (7) *Cyrillus* item *Alexandrinus, non est* (inquit) *hoc opus Dei* (scil. legalis ille cultus, in quo Iudæi suæ justificationis & spem collocarunt) *sed illud, ut credatis in eum* (h. e. Christum) *quem misit ille.* (sc. pater) *Fides enim, salutem adfert & gratia* IUSTIFICAT,

* *Vid. Patrum Testimon. citat. in pri. opusc. pag. 5. ad 16.*

(6) Aug. *Tom. 3. de Spiritu & liter. cap. 26.*

(7) Cyril. Alex. *lib. 3. in Ioh. Euangel. cap 31.*

mandata vero Legis CONDEMNANT *magis.* Hæc ille. Ubi verbum *justificare* sensu planè forensi, quatenus τῷ *condemnare* opponitur, ab eodem usurpatum legimus. Cui deniq; suffragatur (8) *Prosper Aquitanicus* hisce verbis; nec DAMNATI *justa querimonia, nec* IUSTIFICATI *verax est arrogantia, si vel iste dicat, non meruisse se pœnam, vel ille asserat meruisse se gratiam.* Ante omnes verò, (9) *Justinus* ipse *Martyr* hanc forensem istius verbi significationem juxta S. Scripturas insinuat, dum de Christo verba faciens ita interrogat, τί ἄλλο τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἀφανιῦν καλύψαι, ἢ ἐκείνου δικαιοσύνη; ἐν τίνι δικαιωθῆναι δυνατὸν ἦσαν ἄνομοι ἡμεῖς καὶ ἀσεβεῖς, ἢ ἐν μόνῳ τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ; Neq; aliter reverà à nostris exponitur. Nam quod dicis *tantùm per justificantur, intelligunt quod solùm apprehendunt suam justificationem, ut ostensum est in præfat. Collat.* &c. est putidum sanè commentum, haud Christiano Theologo, sed mendaciorum architecto dignum. Nulla enim ejusmodi verbi illius interpretatio à *Protestantibus* adhibita in *præfata* * *Collatione* lib. 1. capitibus articulisq; citatis occurrit. Hoc autem est, quòd ibidem asserunt,

(8) Prosp. *De vocat. Gent. lib. 2. cap. 1.*

(9) Just. Martyr *in Epist. ad Diognetum. p. 500.*

* *Vid.* Smithæ. *Collat. lib. 1. ca. 12. art. 16. & c. 16. art. 5. & 10. citat. ab Anonymo.*

rum, nempè *fidem* in istâ propositione, [*Solâ fide justificamur*] *relativè intelligendam esse*, hoc est, cum respectu ad Christi meritum vel justitiam, quam solâ fide apprehendimus ad justitiam: verèq; fideles certò credere sua sibi à Deo propter Christum remissa esse peccata. Atq; in istâ *peccatorum Remissione* non *Abolitione*, justificationem nostram sitam esse ex verbo Dei cum veteribus statuimus. Nam *justificari* dicimur *gratis per Redemptionem, quæ est in Christo Jesu*. Rom. 3. 24. Nota per *Redemptionem*, h. e. *Remissionem peccatorum*, ut idem Apostolus optimus sui interpres se iterùm iterùmq; explicat. *Ephes.* 1. 7. & *Colloss.* 1. 4. Hinc D.(1) *Augustinus* expresse testatur quòd *peccatorum omnium Remissione sit justificatio*. Hinc * *Elias* quoq; *Cretensis* inter justificationem & salvationem probè cum *Nazianzeno* distinguens (ut modò notavimus) *justificatio quidem* (inquit) *solum habet peccatorum Remissionem*. Imò verò *Sententiarum* † *Magister* non obscurè docet hominis *justificationem in peccatorum Remissione* sitam esse. Postremò doctissimus *Cardinalis* * *Cajetanus*, cui *Lutheri* doctrina haud fuit incognita, ostendens *Apostolum*

(1) Aug. *Tom. 7. contra Julia. Pelag. lib. 6. cap. 12.*

* *Elias Cret. Annotat. in Nazian. Orat. 26. p. 898.*

† *V.* Lomb. *Sent. lib. 3. Dist. 19.*

* *Vid.* Cajetan. *Coment. in Rom. 3. v. 28.*

ad Rom. 3. v. 28. Excludere opera legis non ab executione, sed à justificatione, hoc est, inquit, *à virtute justificativâ hominis absolutè: quod est dicere à virtute remissivâ peccatorum. De tali enim justificatione est Sermo.* Hæc ille. Nostra igitur justificatio, de quâ loquitur Apostolus ad Romanos (teste vestro *Cajetano*) non in *peccatorum Abolitione* sed *Remissione* consistit. Adeò ut *nihil jam damnationis sit iis, qui sunt in Christo Jesu*, Rom. 8. 1. Est tamen aliquod damnabile, nempè peccatum. *Si enim dixerimus, quòd peccatum non habemus, nosmetipsos decipimus, & veritas non est in nobis.* 1 Ioh. 1. 8. Ubi S. Apostolus *Johannes*, de seipso jam justificato haud dubiè inter reliquos, palàm profitetur se à peccato haud quaquam immunem esse. Undè pulchrè scripsit (2) *Augustinus*, *Potest aliquis dicere, non sum Adulter, non homicida, non idolorum Cultor*; *non autem peccator, nescio utrùm quisquam vel hæreticâ superbiâ reperiri possit, qui audeat dicere, audeat cogitare*, &c. Et tritum est illud ejusdem *Augustini*, *Tollitur peccatum* (scil. in Renatis) *non ut non sit, sed ut non imputetur.* Quod cùm olim à *Luthero* citaretur, * *Bellarminus* palàm scribere non

(2) Aug. *Tom. 7. contra* Cresc. Grammat. *lib. 2. cap. 28.*

* *Vid.* Bellarm. *de Amiss. Grat. &c. libr. 5. cap. 6.*

non erubuit, *Lutherum imponere Augustino*, quasi nullum ejusmodi dictum inter *Augustini* scripta reperiretur, cùm & †*Sententiarum Magister* illud ipsum citat ex *Augustino*; imò expressè habetur in ipso *Augustino. Tom. 7. De Nupt. & Concupisc. lib. 1. cap. 25 & 26.* Cui ritè convenit illud (3) *Bernardi*, *Utiq; quod factum est* (scil. peccatum) *non potest non fieri: ipso tamen* (h. e. Deo) *non imputante, erit quasi non fuerit. quod Prophetæ quoq; considerans ait, Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum.* Cæterùm, non solùm extra oleas, quod aiunt, sed & falsò pariter & absurdè subjicis id à nobis doceri, nempè quòd *fides non est necessaria ad justificationem*; cùm eò præcipuè tota tua Declamatio spectat, ut nos hæreseos arguat, quòd *Solam fidem ex parte nostrâ ad justificationem requiri* profitemur. Num fidem eamq; solam necessariam esse asserimus; & fidem tamen necessariam esse negamus? Quis tam κρύφιος unquam diceret, nisi qui mentem perdidit, aut frontem perfricuit? At ex *Protestantium* (inquis) *sententiâ*, *fidem non esse necessariam ad justificationem ostensum est.* Lib. 1. * Collat. cap. 12. art. 15. Quis primâ facie

† *V.* Lomb. *lib. 2. Dist. 32. lit. B.*

(3) Bern. *Tom. 1. Ser. 2. pag. 123.*

* *Vid.* Smith. *Collat. lib. 1. cap. 12. art. 15.*

cie fidei necessitatem quoad justificationem, hîc à nobis simpliciter excludi non opinetur? Sed rem penitùs intuenti, nil aliud apparet, nisi aut *Zuinglium* cum paucis alijs, de *Herculis*, *Numæ* & similium *Ethnicorum* (qui Euangelium non audientes eidem non crediderunt) salute melius sperasse: aut *Bucerum* cum alijs itidem *fidem propriè dictam*, quæ adultis competit, in *infantibus* negasse; quos tamen Dei gratiâ salvari posse non dubitarunt. Sed istis magnâ ex parte nugis, quas aliundè nobis objicis, satis superq; respondere dignati sumus; præsertim cùm loca tantùm indigitas, eaq; tam frequenter ex uno puro puto Pontificio, tanquam ex divino quodam oraculo, scilicèt ex † *Smithæi Collatione*, libro subobscuro, nec *cuiq;* (ut affirmas) *satis obvio*, licèt tibi (ut videtur) perquam familiariter cognito. Ubi multa parum verè, plurima nimis ociosè, omnia saltem sophisticè * *Cocciana* ferè *Methodo*, contra receptam *Protestantium* doctrinam ab hoste juratissimo congeruntur. Quamobrem, ut ista in præsenti missa faciam, ex his quæ modò dicta sunt, id ipsum quod *tanto postulas hiatu*, abundè præstiti; scilicèt, *ostendi unum aliquem*, imò plurimos

† *De Smithæi Collat. judicium totiès ab Anonymo citatâ.*

* *Vid. Cocc. Thesaur. Cathol. ad cujus ferè methodum Smithæi Collatio fabricatur.*

mos ex veteribus, *ante Lutherum*, qui *eandem nobiscum*, quod ad solius fidei justificationem attinet, *doctrinam* tenuerint & docuerint. Non quòd singula vocabula, eo quo fingis modo, per omnia vel ab ipsis, vel à nobis intelliguntur; (neq; enim, v. g. per SOLAM, *solitariam fidem*, nec per IUSTIFICANTUR, *tantùm apprehendunt se esse justos*, intelligimus) sed quòd eodem revera sensu, tùm à nobis, tùm à veteribus accipiuntur; ita nimirum, ut ipsi quòq; nobiscum doceant, HOMINES, hoc est, non omnes simpliciter tam reprobos quam electos, sed quotquot demum justificationis gratiam à Deo consequuntur, sive Iudæos sive Gentes; IUSTIFICARI, hoc est, non fieri justos per universæ culpæ abolitionem, & perfectæ justitiæ infusionem, sed judicio absolvi seu reputari & pronunciari justos coram Deo, per omnium peccatorum remissionem, & Christi meritorum imputationem; FIDE, id est, non dogmaticâ seu historicâ & generali Dæmonibus communi, sed speciali quadam divinæ misericordiæ fiduciâ, quâ propter Christi merita quisq; fidelis καθ' ἑαυτὸν etiam suorum peccatorum remissionem credit; eâq; SOLA, id est, non solitariè existente sine bonis

Sensus istius propositionis, Homines solâ fide justificãtur.

bonis operibus fidem concomitantibus, sed abiq; ullis operibus licèt eximijs, ad justificationem hominis coram Deo, vi aliquâ concurrentibus, aut cooperantibus.

Num autem, hæc sit veterum ante *Lutherum* doctrina, æquo rerum æstimatori ex dictis ritè perpensis judicandum relinquo; præsertim cùm *veteris Ecclesiæ praxin*, per aliquot ante eundem natum annorum centurias, in *Moribundi* vel *Infirmi visitatione* his subjunxero. Sic igitur, *Anselmi Cantuariensis* tempore (quod & *Cardinalis* vester * *Hosius* cum * alijs testatur) ex ejusdem præscripto, *Sacerdos* interrogare & *Moribundus* vel *Infirmus* respondere solebat.

Praxis Ecclesiæ, Anselmi tempore.

* *Vide* Hosium *tom.* 1. *confessi. Catholic. fidei cap.* 73. *edit.* Colon. *pag.* 291. & 292

Vid. et Hortul. *animæ* et *sacerdotale Rom. citat. ab eodem ibid.*

Quæst. *Frater, lataris quod in fide moriaris?* Respondeat, *etiam.* Q. *Fateris te non tam bene vixisse sicut debuisses?* R. *Fateor.* Q. *Pœnitet te?* R. *Etiam.* Q. *Habes voluntatem emendandi te, si spatium vivendi haberes?* R. *etiam.* Q. *Credis quod propter* TE *mortuus est Dominus Iesus Christus filius Dei?* R. *etiam.* Q. *Credis non posse salvari nisi per mortem ejus?* R. *etiam.* Q. *Agis de hoc ex corde gratias?* R. *etiam.* Tum sacerdos; *Age ergo, dum in te est anima tua, ei semper gratias; & in hac* SOLA MORTE

Item *Vid.* Chem. *exam. Conc. Trid. part.* 1. *De justifica. pag.* 144. & D. Usser. *de*

MORTE TOTAM FIDVCIAM TVAM *constitue*, &c. *Et si Dominus te voluerit* IVDICARE, dic; *Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi obijcio inter me, te & judicium tuum: aliter tecum non contendo. Si dixerit, quod meruerit condemnationem: dic; Mortem Domini nostri Iesu Christi obijcio inter me & mala merita mea: ipsiusq́ dignissimæ passionis meritum affero pro merito, quod ego habere debuissem, & heu non habeo*, &c. *Eccl. stat. & succes. ca 7. sect. 21. pag. 104.*

En, ut Sacerdos *fidem* quandam *specialem* à moribundo postulat, dum *credis* (interrogat) *quod propter* TE *mortuus est Dominus Iesus Christus?* Cui consona est moribundi professio respondens, *etiam*. En, ut omnem prorsus *justificationis* & salutis spem ex *operibus quibuscunq́* rejectam velit, dum eundem *coram Deo judicandum* hortatur in CHISTI SOLA MORTE TOTAM FIDVCIAM *suam constituere*, &c. Undè *cuivis* (inquit * *Hosius*) *perspicere licet, qui mos fuerit in Ecclesiâ Dei tum etiam observatus; quòdq́ morti proximi non aliâ in re quàm in Christi passionis & mortis merito suam omnem spem & fiduciam, ut collocarent, admonebantur*, &c. *Quamobrem* TUTIUS *fuerit* (eodem *Hosio* Authore) *Nota fidem specialem, et totam fiduciam in solâ Christi morte.*

* *Vid.* Hosium *loco citat. p.* 292.

thore) *ut cum S. Iob* VERÉAMUR OMNIA OPERA NOSTRA, &c. Imó *Tutissimum est* (ut ex † *Bellarmino* notissimum) *Fiduciam totam in solâ Dei misericordiâ & benignitate reponere.* In quâ quidem sententiâ magnum illum Imperatorem *Carolum Quintum* olim mortuum esse nemini sit dubium, cùm id à multis fide dignis apud *Iob.* * *Gerhardum* Scriptoribus, maximè verò, à *Pauli* 4. Pontificis Secretario, ex quadam *Toletani Episcopi* ad eundem *Paulum* Epistolâ refertur. scilicet, ipsum *Carolum morientem dixisse, sibi videri veram esse Lutheranorum de justificatione sententiam:* hinc; *pontificem dixisse, se nolle ipsi* (viz. imperatori) *propterea quòd cum Lutheranis in præcipuo religionis capite sensisset, ullas exequias celebrare.* Hoc etiam de eodem *Carolo* testatur † *Aug. Thuanus*, nempe quòd in *vitæ clausulâ summè laudabili, proprijs meritis fidere, non fidei sed perfidiæ esse dicens, in* CHRISTO SOLO *se* OMNEM *salutis suæ* SPEM *collocare declaravit:* Hæc illi.

† *Vid.* Bellar. *de Iustifica. lib. 5. cap. 7.*

* *Vid.* D. Iohan. Gerhard. *tom. 3. loc. com. de justific. nu. 161. p. 966.*

† Thuanus *hist. lib. 21. Ann. 1558.*

Ac de veterum hac in re Doctrinâ satis. In quorum sententijs colligendis, nos certè eorundem non *verba tantùm* (ut falsò suggeris) *sed sensum* etiam tenere studemus;

mus; quod ex dictis uti spero, facilè constabit; vos verò contrà: siquidem hæc est jam *ordinaria vestrorum hominum vafricies* (quod rectè monet * *Antonius de Dominis* vestrarum artium haud ignarus) *ut simplicibus obtrudant dicta patrum, ubi verbulum aliquod æquivocum possint ad se vi detorquere, & nihil pensi habent, ut veram patris mentem assequantur.*

* *Vid.* Spalat. *de Rep. Eccl. part. 2. cap. 1. num. 12.*

Cùm igitur, ista sint Patrum verba, quæ antèà retulimus, hic verborum sensus, quem jam enarravimus; cùm hæc sit patrũ mens, hæc doctrina sacræ Paginæ maximè consentanea, absit ut *Anathema* (quod impiè suades) *aut huic doctrinæ, aut Luthero* alijsve eandem *docentibus* unquam *dicamus*; sed gratias potiùs Deo Opt. Max. quantas possumus maximas agamus, quòd hanc Doctrinam summæ Consolationis plenam, Scholasticis speculationibus inter cæteras mirè depravatam, *Lutheri*, aliorumq; operâ suæ pristinæ integritati restituit. Cui si adhuc refragari velis, tuam certè non *imprudentiam* posthàc, sed *impudentiam* potiùs incredibilem, cum pervicaciâ quâdam singulari conjunctam miraturi sumus. A patre tamen luminum, assiduis precibus contendimus, ut aliam tibi mentem

Epilogus.

mentem inderet, ut animi tui oculos aperiret, quibus hanc ipsam lucem veritatemq; plane Evangelicam, ad æternam animæ tuæ salutem cerneres & agnosceres. *Amen.*

Soli Deo sit Gloria, per quem mundo data est Gratia.

Durand. in Concluſ. Operis.

FINIS.